

B. M. II, 126.

H. 31, 10.

(X 1880454)

II R  
4008

I. N. D. E. D. N. J. C.  
DISSERTATIO  
HISTORICO-POLITICA

*De*

# JUDICIIS DEI

Quam

Concedente Nob. Facult. Philosophica

*P R Æ S I D E*

JOH. CHRISTOPHORO BECMANO

S. S. THEOL. ac PHILOS. D. & HISTOR. P. P.

*In Academia Francofurtana*

Disputandam proponit

JOHANNES Steinheuser

Spandov. Marchicus

A. D. XVI. JUNI A. M DC LXIX.

Horis Locoque Solitis

*Editio Secunda Priori Auctior*


---

Impressa JENÆ A. M DC LXXIII.

Sumtibus CHRISTOPHORI ENOCH Buchta.









DISSERTATIO

De

JUDICIIS DEI.

**H**umanum ingenium dum vires suas Naturæ commodare, eamque inventis ornare voluit, eandem simul onerare ac fatigare infinitis commentis periclitatum fuit. Mille testes erunt tot Instrumenta nequitia & immensæ alios detinendi, deprimendi ac opprimendi rationes, neque his minores luxuriæ fomites & pessimi rerum optimarum abusus: Et causa in intempestivo hominumque ingeniis familiari à solitis ad altiora tendendi desiderio sita est, quod uti primitus Parentes nostros transversos egit, ita similia postmodo media successu invenit simillimo & cum iis rem humanam pariter ac totam naturam perdidit; Quam suo jam tempore vidit Beatus Paulus, ac Naturam vices suas dolentem & à corruptionis servitute liberari desiderantem introduxit, *Rom. IIX. XXI. XXII.* Neque aliud extra idem loquitur Materia, cujus nomen Dissertatio hæc nostra in fronte gerit, & homines majorum semper curiosos atque cupidos cum Judicia, Nobilissimas Divinæ Majestatis vices, suis viribus exequi tæderet, aliò evolare & noxio JUDICIORUM DEI furo (quis enim ad JUDICIA DEI non contremisceret?) naturam fatigare non pœdunt, manifesto Divini tentaminis & conatus ad altiora, quam par erat, tendendi indicio: Quam quidem rem pleniori expositione in præsens illustrare constituimus, ejus amplitudine & rariore inter Exercitia Academica usu adducti: Benevolum lectorem vero, ut sicubi erraverimus, id mitiorem in partem interpretari velit, ea, qua par est, humanitate rogamus.

CAPUT I.

*Judiciorum Dei varia acceptio, Usus ad rem præsentem faciens:*

A 2

ens:





*ens: Purgatio Vulgaris, Lex Paribilis, Ordalia: Definitio  
Judiciorum Dei: Antiquitas: Amplitudo: Res iis subiecta:  
Fundamenta, Occasio, Eventus eorundem.*

I.

**J**UDICIORUM DEI significatio est vel Theologica & Scri-  
pturae congrua, qua denotant Actus speciales Justitiae Di-  
vinæ in peccatis hominum exemplariter vindicatis aut ca-  
stigatis animadversi; Vel Civilis: Qua significatione nos ea  
nunc accipimus, non tam genuina Vocis acceptione, quam  
vulgari ejus & receptissimo mediis seculis, cum maximè flo-  
rerent, usu adducti, & Judiciarias Disquisitiones, quibus po-  
stuletur aut expectetur à Deo miraculum, iis intelligentes.  
Legereque est hunc Vocis usum apud Gregor. Taron. Jun. L.  
II. *Ad singulare certamen JUDICIO DEI his duobus confligen-  
tibus cognoscatur Verum, hujus culpæ reputatione sitne Gun-  
deberga innoxia, an fortasse culpabilis.* Formul. Solen. Lin-  
denbr. n. CLXXII. *Fuit judicatum in ipso placito ante ipsum  
Vicarium, ut ad Crucem ad JUDICIUM DEI pro ipsa Terra  
in noctes XLII. in ipso placito pro hoc deberet astere, quod ita  
& fecit.* Aimoinus L.V. c. XXXIV. ad A. DCCCLXXVIII. Lu-  
dovicus autem Ludovici Regis Filius X. homines cum aqua ca-  
lida, & decem cum ferro calido & decem cum aqua frigida ad  
JUDICIUM misit, coram eis, qui cum illo erant, petentibus  
omnibus, ut Deus illo JUDICIO declararet, si per Jus & æ-  
quum ille habere deberet portionem de regno &c. LL. Eduard.  
Confess. c. XVI. *Si se super defendere non posset JUDICIO DEI  
sc. Aqua vel ferro, fieret de eo Justitia.* Et c. XX. *Uxores Inter-  
fectorum expurgent se JUDICIO DEI &c.* Similiter loqui-  
tur Concilium Salegustadiense c. XIV. C. II. 2 V. c. XXV. *Si  
duo de adulterio accusati fuerint & ambo negaverint & o-  
rant sibi concedi, ut alter illorum utrosque DIVINO purget  
JUDICIO, &c.* Quæ citat Spelmann. Glossar. V. JUDICIUM  
DEI



DEI. Quibus addi poterunt loquendi formulæ, quæ seqq.  
Capp. in Exemplis Conjuratationumque modis passim exhibebimus.

II.

Alio nomine vocata sunt *Judicia*, addito tantum rei nomine, unde *Judicium* peteretur: Sic manus ad *Judicium* mitti dicitur in ordinatione Ludovici Pii Imp. de Benedictione Aquæ Calidæ; Et mox commemoratur ibidem *Judicium* Aquæ Frigidæ: Præterea Crucis *Judicii* creberrima fit mentio, quam itidem in seqq. adducemus. Etiam *Judicia Probabilia*, ut in *Concil. Salegustad. c. VII. cit. c. II. Q. V. c. XXIV.* Decretum est à Sancto Concilio, ut ille, qui negaverat, *probabili se* *Judicio* expurget. Alibi vocantur nomine notissimo *Purgationes Vulgares. V. Del Rio Disq. Mag. L. IV. c. IV. Q. IV.* In constit. Neapoll. *Lex Paribilis*, eo quod rem non sciri, sed apparere tantum faciat, cum levi hoc discrimine tamen à *Purgatione vulgari*, quod illa etiam Legem Duellorum comprehendere, hæc vero cætera *Judicia* tantum haberet. Quanquam è contrario Angli & Normanni Legem de Duellis tantum *Legem Paribilem* dicerent, contra vero *Judicia* Voce Mixobarbara *Ordalia*, & singulari Numero *Ordalium*: Qua etiam in LL. suis frequentissime utuntur, origine ducta ex *Or*, particula privativa, & *deel*, h. pars, quasi sine parte Criminis sint, quemadmodum *Voetius* autumat *Vol. II. Diss. de Sortis aliisque Divini Nominis Abusibus*: Cui adjicimus eam ad imitationem Latini *Judicii* factam videri, quod Dialecto Franconica *Urtheil* / ut *Judicare Urtheilen* / dicimus, unde postmodum Dialecto Saxonica *Ordalium* h. *Ordeel* / quippe *Judicii* vices gerens formari potuit. Sicque ipsa vox *Urtella* occurrit in Lege Bajoariorum inter Decreta *Tassilonis §. IX. V. Thysium Nott. ad Polyd. Virgil. de Reb. Anglican. Spelmann. Sommer. in Glossariis V. Ordalium.*



### III.

Atque ut recepto in Scholis Ordini nunc porro satisfaciamus, JUDICIA DEI definimus, quod sint *Disquisitiones Judiciariae*, quibus *Veritas rei humanitus inexplicabilis Eventui præter naturam manifestando permittitur*. *Disquisitiones* sunt, quippe in detegenda re latente occupatæ: *Judiciariae*, quia ex dictamine superioris proficiscuntur: *Veritatem rei* quærunt: Tractant enim res decidendas & exequendas. Et *Rei quidem humanitus inexplicabilis*, Cæteris enim Testes & reliquus apparatus Judiciorum ordinariorum sufficit. *Eventu deinde præter Naturam manifestando* in discrimen I. à Jura-mentis, quæ veritatem quidem confirmant, sed præsentem rei eventum non manifestant. II. A Sortibus, quæ itidem in rem humanitus inexplicabilem inquirunt, sed per electionem, non eventum ejusmodi præternaturalem. Cui prorsus parallela sunt *Aventini* ista Thema nostrum quam maxime illustrantia: *In causis ambiguis, maxime criminibus, quæ nullo humano testimonio comprobari poterant ad cælestia beneficia, ad summam majestatem, quæ falli non potest, tanquam ad arbitrum honorarium & iudicem omnium confugiebant. Senatus, populus, atque Sacerdotes, qui singulare certamen spectatum frequentes venerant, interim, sicuti in Lege Salica lego, divinam opem implorabant, beneficia memoriter commemorabant, quæ in simili negotio Deus immortalis contulisset &c. Reo eligendi atque conducendi quemcunque vellet copia fiebat, Criminator ipse pugnare cogebatur &c. L. IV. An. Boj.*

### IV.

Initia eorum non nova sunt, sed multis retro seculis cognita fuere, ac inter ipsos Hebræos pariter ac Gentiles jam usitata. Ideo ipse Deus probationem per Aquas Amaras in Remp. suam Israeliticam introduxit. Sophocles in Antigone Thebanos inducit Oedipo respondentem:

Ἡμῶν



Ἡμῖν δ' ἑτοιμοὶ καὶ μύδρους αἶρεῖν χερσίν,  
 καὶ πῦρ δῖεραπειν, καὶ θεῶς ὀρκωμοτεῖν  
 τὸ μὴτε δεῖσθαι, μὴτε τῶ ζυμεδένααι.

*In hoc parati tangere ardentis sumus Massas, per Ignem ire Ju-  
 rare & Deos, Nos hujus esse nec reos nec conscios. In Achaja  
 Telluris Eurysternæ Fano taurini Sanguinis haustu pudicitia  
 explorabatur, quo epoto, si Legi fraudem fecisset mulier fla-  
 gitium morte luit. Pausan. in Achaic. Sic Eustathius L. VIII.  
 & XI. de amoribus Ismenia & Ismenes tradit, Artycomide &  
 Daphnopoly fontem fuisse & arcum Dianæ in medio Tem-  
 pli, ita, ut Dianæ Imago aurea manibus arcum tenens ibi  
 conspiceretur, & ad pedes simulacri fontes magni fluminis  
 strepitum imitati scaturirent. Hi fontes, ait, virginem ere-  
 ptamque virginitatem indicant: Cum de alicujus pudicitia du-  
 bitatur, facto sic periculo fides arguitur. Lauro coronata caput  
 virgo fonti mandatur, quæ si pudicam se non mentita est, nullus-  
 que castitatem ejus imminuerit, manet arcu immoto numen, ta-  
 citisque molliter undis virgo innatat. Si verò Dionæi cujuspi-  
 am aura venti virginem tadam extinxit deditq; secreto aman-  
 ti usuram floris sui, statim arcu reducto Dea, virgo & virginum  
 custos, sagittam emittere videtur contra illius caput quæ virgi-  
 nitatem simulavit. Infelix sagittæ metu, dum caput aquis im-  
 mergit vibrata in lenes fluctus unda strepitu clangente coronam  
 aufert. Quæ etiam referunt Doctissimi Viri Lindenbrogius &  
 Spelmannus in Glossariis locis ad materiam nostram pertinen-  
 tibus; Sed prorsus aliter & indigna studiis ipsorum negligenti-  
 tia. Achilles Tatius de Amor. Clitoph. L. IX. de fonte prope E-  
 phesum Stygis nomine vocato narrat: Ὅταν τις αἰτίαν ἔχη ἀ-  
 φροδισίων, εἰς τὴν πηγὴν εἰς βάσιν ἀπολίσσεται, ἢ δεῖν ὀλίγη καὶ μέλαι-  
 κνήμη μέσης. Ἡ δὲ κρήνη ἐγγράψας τὸν ὄρκον γραμματεῖω μηρίνθω δε-  
 δεμμένον ὡσεὶ θήκατο τῇ δέξει. Κὰν μὲν ἀψύχῃ τὸν ὄρκον, μένει καὶ χῶ-  
 ραν ἢ πηγὴ, εἰὰ δὲ ψύχῃται, τὸ ὕδωρ ὀργίζεται καὶ ἀναβαίνει μεχρὶ τῆς  
 δέξης καὶ τὸ γραμματεῖον ἐκάλυψεν. Cum violata Pudicitia aliqua  
 argui.*



arguitur, eum in fontem compellitur, cuius unda vix medias ti-  
 bias attingit. Iudicium autem fieri hoc pacto consuevit. Quæ  
 delata est, falso se insimulari jurat, iusjurandumque in Tabella  
 descriptum collo suo alligatum sustinens in fontem descendit; Ac  
 si verum iusjurandum iuraverit, aqua omnino immota manet;  
 Sin minus, intumescit atque ad Collum usque se attollens tabel-  
 lam contegit &c. Similiter de Palicis scribit Stephanus  
 Ἰδὲ καὶ ὄρκιον ἀγίον αὐτόρι, ὅσα γὰρ ὁμνύει τις εἰς πινάκιον χεράσας  
 βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ εἰ μὲν ἐν εὐορκίᾳ, Ἰπιπολάσει, εἰ μὲν δὲ μὴ εὐ-  
 ορκῆ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. Est verò &  
 iusjurandum sacrum ibidem. Quæcumque enim quis iuraverit,  
 in Tabellam scribit, atque in aquam abijcit. Si verè iuraverit,  
 tabella supernatat: Sin pejeraverit, illa quidem evanescit, ipse  
 autem aduritur. Cujusmodi fontis alterius etiam apud Ty-  
 anam mentionem facit Philostrat. De V. Apollon. L. 1. c. 4.  
 ἔστι ἢ πὶ πρὸς Τύανα ὕδωρ, ὄρκιον Διὸς, ὡς Φασί. Καλεῖται ἢ αὐτὸ Ἀσβαμαί-  
 ον. Ὁ πηγὴ αἰαδίδοται ψυχρά. Παφλάτι ἢ, ὡς πρὸς ὁ Φερμανιόμην  
 λέβης. Τῆτο ὄρκοις μὲν, ἰλεών τε, καὶ ἡδὺ ὕδωρ. Ἰπιόρκοις ἢ, πρὸς πό-  
 δας ἢ δίκη. Ἀποσκῆπτει γὰρ καὶ ἐς ὄφθαλμοὺς καὶ ἐς χεῖρας καὶ ἐς πόδας. Καὶ  
 ὑδέργις ἀλίσκονται, καὶ φθόγαι. Καὶ γὰρ ἀπελθεῖν δυνατὸν, ἀλλ' αὐτόρι  
 ἔχονται, καὶ ὀλοφύρονται πρὸς τῷ ὕδατι, ὁμολογῶντες ἂν Ἰπιώρησιν.  
 Est autem juxta Tyana Aqua, Ἰονι, ut perhibent, sacrata, quam  
 Indigenæ inextinguibilem vocant. Fons ejus frigidus sanè scatu-  
 it. Ebullit autem non secus ac Igne calefactus lebes: Hanc puris  
 ac juramenti fidem servantibus viris ad spectu placidam & gustus  
 dulcem esse perhibet; Perjurus verò & infidus palàm adversatur.  
 Epota namque oculos pedesque ac manus pejerantis invadit, pu-  
 stulis ac vomitis totum corpus inquinans; Neque inde discedendi  
 facultas datur, sed ibidem permanentes coram aqua ipsa suam  
 deplorant calamitatem, palàm quod pejerarint profitentes. Eo-  
 dem auxilii genere Tucciæ Virginis Vestalis incesti crimi-  
 nis reæ castitas Infamix nube obscurata emerfit; Quæ Con-  
 scientia certæ sinceritatis suæ spem Salutis ancipiti argumento

ansa



*causa petere est, ait Valer. Max. L. IIX. c. I. n. V. Arrepto eximio  
cribro, Vestia, inquit, si Sacris tuis castas semper admovi manus,  
effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, & in adem tuam perfe-  
ram. Audaciter & temere jactis votis Sacerdotis rerum ipsa na-  
tura cessit. Et Claudia itidem Virgo Vestalis incestus suspe-  
cta, cum ex responso Librorum Sibyllinorum Mater Deorum  
Pessinunte accerferetur, navisque adverso Tiberi vecta re-  
pente in alto staret, neque viribus ullis moveri posset, Deam  
oravit, ut si se pudicam sciret, sequeretur, Zonaque imposita  
navem movit. Suet. in Tiber. Quam rem Ovidius eleganti  
carmine comprehendit L. IV. Fastor.*

*Supplicis Alma Tua, Genitrix fecunda Deorum,  
Accipe sub certa conditione preces.  
Casta negor; Si tu damnas meruisse fatebor,  
Morte luam pœnas judice victa Dea,  
Sed si erimen abest, nostræ tu pignora vitæ  
Re dabis & castas casta sequere manus.  
Dixit & exiguo funem conamine traxit;  
(Mira sed in scena testificata loquor.)  
Mota Dea est, sequiturque Ducem laudatque sequendo.  
Index letitia fertur ad astra sonus.*

Plinius dn. scribit veterum Psyllorum morem fuisse *liberos  
genitos protinus objiciendi serpentibus, eoque genere pudicitiam  
Conjugum experiendi, non profugientibus adulterino Sanguine  
natos serpentibus L. VII. c. II.* Suntque qui etiam Virgilii Ver-  
ba huc trahunt, IX. *Æneid.*

*Gnatos ad flumina primum  
Deferimus, sevoque gelu duramus & undis.*  
Quemadmodum & Eustathius ante cit. l. IIX. de Am. Ism. fon-  
tem Artycomidis Rheno comparat. V. Lauremb. Acerr. Phi-  
lol. & alios: Quod tamen de quæsito à laudatis majoribus no-  
stris robore accipimus, unde idem dictum integra sua con-

B

ac-



nexione donatum Magnus Suediæ Cancellarius Oxenstierna  
ad Suedos suos transferre solitus fuit :

*Durum à stirpe genus, gnatos ad flumina primum,  
Deferimus, sævoque gelu duramus & Undis :  
Venatu invigilant pueri silvasque fatigant :  
Electere ludus equos & spicula tendere Cornu ;  
At patiens operum parvoque assueta Juventus  
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello :  
Omne ævum ferro teritur, versaque Juvençum  
Terga fatigamus hasta, nec tarda senectus  
Debilitat vires animi, mutatque vigorem ;  
Canitiem galea premimus &c.*

*V. Luc. de Lind. Desc. Orb. p. 975. Burgold. p. I. Disc. VI. §. VI.  
Confer Spelmann. cit. T. Judicium Dei, qui plura huc facien-  
tia collegit.*

V.

Neque minus ampla, quam antiqua fuerunt hæc Judicia  
& universum orbem pervagata sunt, de Hebræis, Græcis, Psyl-  
lis nihil attinet repetere, cum mentio eorum modò facta sit ;  
Eadem coluerunt antiqui Saxones & cum iis Anglo Saxones  
in Britannia, de quibus v. *Seld. l. II. Analect. Anglo Britan.  
cap. IIX.* In Gallia ea obtinuisse docet *Pontanus lib. VI. Ori-  
gin. Francicar. c. XVII. Et Pasquier L. IV. des Recherch. C. II.  
De Danis verò eundem Pontan. l. c. Camer. Cent. II. Operar.  
Subcisiv. c. XIX. Vorm. Monum. Dan. l. I. c. XI. De Suedia  
Loccen. Antiq. Sveogoth. l. c. De Hispanis Marian. §. seq. cit.*  
Ipsi Siamenses in India Orientali ita dubia sibi hodiernum ex-  
imunt v. *Schouten Descript. Regni Siam p. 248.* Et Japanen-  
ses accusationem furti non satis probatam simili examine do-  
nant. v. *Varen. descript. Japan. p. 217.* De Americanis simile  
testatur *Benzon. in Descr. Ind. Occid.* Omnes etiam sine discrimine obligarunt, non tantum Laicos, sed etiam personas Ec-  
clesiasticas, quorum exempla adducemus §. seq. Immo ne il-  
lu-



Iustres quidem Personæ eximi potuere: Sic Emma Regina Angliæ super ignitos Vomeres incescit ad fidem faciendam pudicitia *T. Polyd. Virg. L.IV. Rerum Anglic. Spelman. l.c.* Nec Cunigundis Augusta, Ludovicus Rex &c. ea detrectarunt, ut alia exempla transeamus.

## VI.

Res Judiciis hisce subjectæ ad omnes causas Civiles pariter ac Religiosas extensæ fuerunt, neque minus innocentiam suam rei, quam veritatem sententiæ suæ Disputatores iis confirmare conati sunt. Sic Catholici in Disputationibus cum Albigenibus Librum in Ignem injecere, illumque illæsum eximendo causam suam probavere *V. Libr. Petr. Cisterciensis de Bell. Albigeni: Quod ipsi Dominico attribuit Canus L.II. Locor. Theolog. c. II.* Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Disputatione cum Godeschalco de Prædestinationis materia, cum Godeschalci constantiam aliter retundere non posset, Aquæ ac Olei ferventis examini se obtulit. *V. Uffer. Hist. Godeschalci. c. XIV.* In disceptatione de Officio Divino Mozarabico & Romano in Hispania Monomachia primum, deinde Judicio Ignis rem expediri oportuit. Quæ ambo facta regnante Alphonso Forti A.MXCIIIX. cum Romana introducenda, Gothica precandi ratio v. quod sæpius tentatum erat, abroganda esset, ac reniterentur complures *singulari certamine homines militares & in armis nutriti rem tantam dijudicari voluerunt. Die dicta duo milites ab utraque parte delecti in arenam descenderunt. Vicit, qui antiquum Hispanorum morem & vetustissimam precandi rationem retinendam esse tutebatur Johannes Ruizius ex familia Malencia, quæ ad Pisorium fluvium habitabat & cujus posteris ad nostram ætatem ejus certaminis memoria illustres manent. Verùm adverse partis studia cum nihil eo casu remitterent neq; victæ vincerentur visum est controversiam Ignis Judicio permittere. Sic ejus secu-*



li mores erant rudes & agrestes neque satis expensi ad Christiana-  
nae pietatis Regulam rogo in platea accenso liber uterque Roma-  
nus & Gothicus in ignem projecti & Romanus quidem continuo  
ex igne profiliit. Id populus victoriam interpretabatur. Nam  
Liber alter igne & flammis diu permanens illaesus inventus est,  
Rege arbitro populo nihilominus persuasum utramque precandi  
rationem superis placere, quando uterque liber ex incendio eva-  
sisset incolumis. *Marian. de Reb. Hispan. L. VI. c. XLIX.* Simo-  
niam ita obtrusit Petro Florentino Episcopo Petrus Episco-  
pus Albanensis *Fulgos. L. IIX. c. 1.* Et in causis Civilibus jus in  
Regnum suum contra Patrum Carolum Calvum ita firmari  
voluit Ludovicus Ludovici Germaniae Regis Filius: Mortuo e-  
nim Ludovico isto Germania Rege Carolus Calvus Imperator &  
Francia Rex prope Aquas Coloniamque contendit, ut Lotha-  
ringiam, qua Fratris & Filii eius Lotharii fuerat, occuparet.  
Ludovicus tres filios reliquerat Carolomannum, Ludovicum &  
Carolum cognomine Crassum. Ex quibus Ludovicus, qui paterno  
funeri interfuerat, ubi patrum paterni Regni fines ingressum  
Castra ad Rhenum posuisse, audivit, ira incensus, quod pater-  
num Regnum invadere esset ausus, Francofordia copias movit,  
atque ad alteram Rheni ripam e regione consedit: Ibi jure pri-  
mum, deinde gratia per Legatos petita, cum neutrum impetra-  
set, deinde homines cum Aqua calida, totidem cum frigida,  
decemque alios cum ferro candente misit iussos experiri JU-  
DICIO, utri Regnum illud conveniret, quod cum ipso Pater suus  
Ludovicus Sacramento interposito divisisset: Qui re tentata,  
cum detrimentum nullum cepissent, nihil tamen aequo obtinue-  
runt. *Sigon. d. R. Ital. L. V.* Confer *Aimon. ante cit. L. V. c.*  
*XXXIV.* Furti exemplum est in *Can. Concil. Triburiensis*, quem  
mox citabimus §. seq. Adulterii in *Can. Concil. Salegustad.* ibi-  
dem citando. Pudicitiae in *Briccii Kunigundae & antiquis*  
*Gentilium Historiis* ante cit. Magiae per Aquam Frigidam  
Purgationem c. III. proponemus.

VII. Au-



## VII.

Autores, Causas, Occasiones horum Judiciorum assignare difficile est, & facilius particulares singulorum reddentur, quam universales omnium. Christianos hosce ritus à Judæorum moribus mutuasse verisimile est, ut ab Aquis amaris *Num V.* A Sortilegio, quo Achan furti Anathematisque reus agebatur *Jos. v. 1.* A Monomachia Davidis cum Goliatho *1. Sam. xvii. & s.* Primusque qui inter Christianos Igneofusus fuerit examine, videtur Briccius Episcopus Turonensis & S. Martini Diaconus ac Successor fuisse circa A. CCCCXII: Cujus Historiam infra proponemus. Inde in leges transiere. Ut Concilii Salegustadiensis *cap. vii. & C. ii. Q. v. cap. xxiv.* Interrogatum est, si duo de adulterio inculpati fuerint, & unus profiteatur, & alter negat, quid inde agendum sit. Decretum est à Sancto Concilio, ut ille qui negaverit, probabilis se judicio expurget, & qui professus fuerit, dignam pœnitentiam agat & C. xiv. ib. *cap. 25.* Si duo de Adulterio accusati fuerint, & ambo negaverint, & orant sibi concedi, ut alter illorum utrosq; Divino purgetur Judicio, si unus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur; Et Concilii Triburiensis circa A. DCCC LXXXV. cujus Decretum hoc erat: *Nobilis Homo vel Ingenuus si in Synodo accusatus sit & negaverit, si eum constiterit fidelem esse, cum duodecim Ingenuis se purget, si antea deprehensus fuerit in furto, aut perjurio, aut falso Testimonio, ad Juramentum non admittatur, sed sicut qui Ingenuus non est, ferventi Aqua, vel Candenti Ferro se expurget c. xv. Caus. ii. Q. v.* Huc faciunt & verba è Concilio Rhemensi c. II. p. 19. prout citantur à Somner. in Glossar. v. Ordalium. *Heic si quisquam vestrum aliter esse putat, neque indignum cui credatur, credat Igni, ferventi Aqua, candenti ferro. Faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba.* Unde & conqueritur Agobardus *L. de Impietate Duellorum: Quid est, quod Causa Divino Judicio Committuntur? Vides*



*des Canones Ecclesie ista aliquando approbasse. Judæos jussu di-  
vino ea admisisse Sacri Codicis autoritas nos dubitare non fi-  
nit. In Gentilibus tam solitam Satanæ Deum imitandi æmu-  
lationem, quam ambitiosum Hominum ad altiora tendendi  
desiderium allegari non abs re fuerit. Ut enim ille Simiam  
Dei ageret, & hi vetitæ credulitatis suæ Vires ostentarēt, hæc  
cæcilia, bona, mala sine discrimine arripi oportuit: Quod ta-  
men & de Christianis dixerimus, quia & illis mandatum dee-  
rat, quo conamina sua firmarent: Qua de re in Epicrisi hujus  
materiæ pluribus agemus.*

**IIIX.**

Inter Circumstantias fuere, ut diebus festis hos actus  
suscipere non liceret. Sic LL. Alfredi & Godrini in *Chron.  
Bromptoni Abbatis Fornalensis p. 830. Ordalium & Jusjuran-  
dum festis diebus & legitimis jejuniis legibus est interdictum.  
Et qui hoc fregerit reddunt Lashlite cum Dacis Loitam cum  
Anglis.* Neque à jejuniis ritibusque Communionis imparato  
esse licebat, qui examinandus erat. Immò & Juramentum In-  
nocentiæ suæ præmittere cogebatur. Ut in LL. Adelstani Re-  
gis in *Chron. Bromt. Si quis judicium Ferri vel Aquæ vadia-  
verit, accedat ante tribus noctibus ad Presbyterum, qui sancti-  
ficare debet eum, & pascat se pane & sale & aqua & herbis, &  
audiat missas singulorum ipsorum trium dierum & offerat & e-  
at ad Sacrosanctam communionem ipsa die, qua Ordalium exa-  
minari debebit, & iuret, quod Jure publico sit innocens illius ac-  
cusationis, antequam ad Ordalium veniat.* Eventus dn. com-  
muniter hic fuit, ut peractis JUDICIIS, si contra Reum testa-  
rentur, ille quamcunque etiam Innocentiæ speciem residu-  
am haberet, damnas esset; Aut si pro eo facerent, quantocius  
absolveretur: Quanquam & hic dubitabundos aliquando hæ-  
fisse, immo ipsa hæc Testimonia subinde rejecisse, exemplis  
inferius declarabimus.

CA-



## CAPUT II.

*Species Judiciorum Dei, Judicium Aquæ Amarae ex V. Testamento, cur in causa Zelotypiæ tantum admissum fuerit: Formula Preliminaris in hoc negotio, & ceteri ritus antecedentes: Quæ Fœminæ admissa fuerint, Excursus de Conjugio Eunuchorum: Connexa Probationis hujus, Fœminam compellendi Formula: Consequentia Bibitionis: Textus Talmudicus ex Tractatu Sota.*

### I.

**A**D singula JUDICIORUM DEI genera dum progredimur, primo Aquæ & Ignis JUDICIA, tunc singulares Actus Duellorum, JUDICII Crucis, Offæ Judicialis, &c. Iustrabimus, iisque deinde Cœnæ Perceptionem, Cruentationem Cadaverum, & cætera, quæ Analogiam aliquam heic habent, adjiciemus. In Aquæ Judiciis primo verum istud & Legitimum JUDICIUM AQUÆ AMARÆ ex S. Codice ponendum erit, quippe ipsius Dei Autoritate ac jussu in Remp. Israeliticam introductum, quod alligat Lex Sacra causis Adulterii; unde & Legis Zelotypiæ nomine nunc vulgò innotuit, proponitque rem totam verbis sequentibus: *Cum ullius uxor declinans ab eo fefellerit eum, & concumbente aliquo cum ea Concubitus seminis, absconditum sit ab oculo mariti ejus, eaque dissimulaverit se, cum tamen immunda facta sit, & nemo testis fuerit contra eam, neque fuerit deprehensa: Si invaserit eum affectus Zelotypiæ, ita ut sit Zelotypus uxoris suæ, quæ immunda facta sit, aut invaserit eum affectus Zelotypiæ, ita ut sit Zelotypus Uxoris suæ, quamvis ipsa non sit facta immunda, Tunc adducet &c. Num. V. XII. XIII. XIV.* Cujus & quod solum adulterium attinuerit, rationem reddimus, quia Adulterium communi Gentium consensu pro gravissimo crimine semper habitum fuit; utpote quo fides Socialis tam sancte & publice data, quæq; cæterarum Societatum fundamentum esse deberet, violetur. Hinc etiam LL. humanis animadversio ejus ad ipsos privatos extensa fuit, adeo ut Maritus propriis manibus Adulterum perimens, nullum pe-

ri-



riculum inde formidare haberet, quo intuitu & jus hoc propter constantiam & communem in illud consensum, fote Legem Mundanam vocat Jus Canonicum *C. inter hac. vi. c. xxxii. q. ii.* Deus itaque, ut & sibi speciatim istud displicere declararet, extraordinarium hoc probandi genus fieri permisit, ut non tantum ipsi sceleri, sed etiam suspicioni ejus, obicem poneret.

## II.

Pergit S. Codex v. XV. *Tunc adducet vir ille Uxorem suam ad Sacerdotem, & afferet oblationem ejus pro ea, decimam Ephæ Farinæ hordeaceæ: Ne superfundito ei oleum, neque imposito ei Thus; quia oblatio Zelotypiarum est munus monimenti, revocans in memoriam iniquitatem.* Ad quæ notamus. I. Formula Forensi præliminari hic opus fuisse, antequam sacrificio & ipsi explorationis actui se accingerent; Adibatq; Maritus Forum, cujus jurisdictioni proximè suberat; huic narrabat suspectam Uxorem se præmonuisse, eam nihilominus cum eo, de quo præmonita fuisset, in occulto egisse, testes totius rei adesse, ipsam se à coitu mundam asseverare, ideoque se petere, ut Aquarum Amararum examine res decideretur: Traditionis verba deinde intercedebant sequentia:

*Hanc uxorem meam Zelotypus præmonui de N. quo cum postea occultata est, & in secreto egit, atque hi sunt Testes: Illa se innocentem esse ait; Ego autem peto ut potius ei detur, quo rei examen fiat.*

Testimoniis Foro auditis & tradito Marito in custodiam duorum Legis Studiosorum, quibus erat cavendum, ne cum uxore ipse ante potationem, utpote qua jam prohibebatur, concumberet, utrique Conjuges Hierosolymam transmittantur, ut ibi in Synedrio Magno septuaginta Virorum promote res procederet: Nam alibi examen hoc rite fieri non poterat. *Maimonid. in Halachoth Sanhedrin. c. V. Comparentem*



tem ibi Uxorem absterrere nitebatur Synedrium, ne Aquas  
amaras biberet, crimen, cujus suspicione laboraret, confiteri  
suadebant, monebantque ut recoleret exempla Judæ & Tha-  
maris, Rubenis & Concubinæ Patris sui &c. ne nimium gra-  
vis ipsi confessio videretur. Si confiteretur aut Potum detre-  
ctaret, ejiciebatur sine dote: Si innocentem se assereret ex  
conclavi saxeo, loco templo conjuncto, ubi Synedrium illud  
habebatur eductam circumducebant, tentantes an defatigata  
atque anxia demum confiteretur, perseverantem deniq; ipsi  
ritui subjiciebant. v. *Tr. Sota cap. 1. tmemat. 1. II. III. IV. V.*

III.

II. Non quælibet Fœminæ huic Legi adstringebantur, et-  
iamsi præmonitæ, occultatæ, testibusque convictæ essent: Li-  
cet consequens illas æque maneret, ut ejicerentur sine dote  
& illicitæ Maritis fierent. Tales erant, Uxor cœci, quia dica-  
tur: *Et absconditum fuerit ab oculis ejus*; item Uxor clauda,  
quia Legis verba sint: *Stare eam faciat Sacerdos*: Cui item  
manus vel unica deesset, seu ad recipiendum non esset ido-  
nea, quia scriptum sit: *Oblatio super manus ejus ponenda*. Tunc  
muta, quia dicendum fuerit mulieri: *Amen, Amen*. Et Surda  
denique, eo quod adjiciatur: *Et dicat Sacerdos ad Mulierem*.  
Similiter si in Maritis tale vitium deprehendebatur, potandi  
hoc jus urgere non poterant ob rationes similes; iisque In-  
fani etiam ac carcere retenti æquiparabantur. Eximebantur  
præterea spurix & Nethinæ, quæ nupsissent Israelitæ; aut Fœ-  
mina Israelitica, quæ spurio vel Nethino nupsisset; Item ste-  
riles, senes, & quæ non aptæ essent, ut liberos haberent *Tr.*  
*Sota c. IV. v. 1. II. III. IV.* De Eunuchi uxore quærunt Thal-  
mudici *v. IV.* & veluti legitimum matrimonium ibi præsup-  
ponunt, ita ipsi bibendum esse cujuscunque turpitudinis no-  
mine decernunt. Ratio videtur eadem fuisse, quam quæ *c. IV.*  
*Decret. l. IV. tit. XV. de Conjugio Eunuchor.* expressa est. *Quod*  
*li.*



licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat Matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut Sorores. Maxime hoc præsupposito, si Fœmina sciens atque volens cum Eunucho contraxerit: Sic enim quia fidem pacisci voluit, ea in posterum stare opus habebit. Quanquam ne hoc quidem semper sufficere in Decreto Iudicio supremi Curie Parisiensis de Anno 1666. de VIII. Januar. claruit, quo Dionysius Guinottus, nulla habita ratione consensus, tam virginis, quam parentum ejus, ipsiusque à virgine factæ interventionis, matrimonio prohibitus fuit, pronunciatumque, Eunuchum non posse contrahere matrimonium *V. Journal des Sçavans P. I. N. VII. p. 72.*

IV.

Sequuntur tunc probationis ceremoniæ v. XVI. XVII. & seqq. Eamque jubens accedere Sacerdos, sistet eam coram Jehova. Et accipiet Sacerdos aquam sanctam in vase fictili, & de pulvere, qui erit in solo Tabernaculi, accipiens Sacerdos indet in aquam illam: Sistensque Sacerdos mulierem illam coram Jehova: reteget caput illius Mulieris, & imponet manibus illius munus monimenti, quod munus Zelotypiarum est: In manu vero Sacerdotis esto Aqua illa amaritudinis, quæ maledictionem importat. Et adjurans eam Sacerdos dicet mulieri, si non concubuit ullus tecum, & si non declinasti ad eum immunditie loco mariti tui, insons esto ab aqua illa amaritudinis, quæ maledictionem importat. Sin autem tu sic declinasti loco Mariti tui & immunda facta es; si indiderit in te aliquis semen concubitus sui præter Maritam tuam: Adjurans inquam Sacerdos mulierem illam adjuratione dirarum, dicet Sacerdos Mulieri illi, ponat te Jehova in formulam dirarum & juramenti in medio Populi tui: quum reddiderit Jehova femur tuum cadivum, & ventrem tuum tumidum: Ingrediatur itaque hæc ipsa aqua maledictionem



*nem importatura in viscera tua, ad tumidum reddendum ven-  
trem & ad efficiendum femur cadivum: Et dicet mulier ipsa,  
Amen, Amen: Deinde scribet Sacerdos diras istas in quodam li-  
bro; & delebit eas aqua illa amaritudinis: Curabitque, ut bibat  
mulier illa aquam istam amaritudinis, quæ maledictionem im-  
portat, ut ingrediatur in eam aqua ista, quæ maledictionem im-  
portat ad amaritudinem. Accipiens autem sacerdos è manu Mu-  
lieris illius munus Zelotypiarum; agitabit munus illud coram  
Jehova, & offeret illud super altare: Ad quæ iterum notamus.  
I. Perseverantem prope portam Atrii orientalis exterioriorem  
collocatam, atque omni ornamento muliebri etiam solen-  
nibus capitis operculis spoliatam, Vestibus nigris indutam  
fuisse. II. Mulierum frequentiam illuc ex more vocandam  
fuisse, ut erudiretur sexus ille, ne ageret juxta istius facinora  
Ezech. XXII. XLIII. III. Adesse potuisse alios, quotquot  
voluerint, exceptis Ancillis ejus atque Domesticis Servis, qui  
summovendi erant, ne forte præsentia eorum mens Dominae  
distraheretur; tunc iterum monitam ac designata formula  
à destinato huic rei Sacerdote compellatam fuisse, lingua ipsi  
cognita. Tum IV. libello subtilissimæ membranæ, atramen-  
to sine chalcanto mulieris nomen & omnia adjurationis vo-  
cabula inscripta mox abrafa atque absterfa in poculum testa-  
ceum recens fictum, & ex æneo labro juxta altare aqua reple-  
tum inspersa fuisse, addito pulvere pavimenti templi &  
commistis absinthio aliisque herbis, quæ amaritudinem ad-  
derent, post V. Alium Sacerdotem ei vestes cordetenus dila-  
cerasse, nudato usque ad crines Capite, cincinnisque, si qui  
erant, absconditis & fune aliquo vestas laceras supra mam-  
millas cinxisse. VI. Mulierem potuisse timorem causari, eoq;  
aquam renuere & nihilominus, si vellet, denuo ad illas admit-  
ti potuisse; si simpliciter recusaret, modo integra esset vale-  
tudine, retractare nefas habitum: Si recusaret bibere, ante*



abrasum libellum, repositum fuisse in Gazophylazio, neque libuisse, ut alius cujuscumque examini inserviret; tunc etiam oblationem in receptaculum cinerum rejectam fuisse. At post abrasum libellum recusare nefas adeo erat, ut etiam vi cogere retur bibere, sed non sine praeunte Suadela hujusmodi:

*Filia mea, si adeo certum sit te innocentem esse, ex fiducia innocentiae tuae bibe, nec omnino timeas, quoniam aqua non aliter se habet, ac venenum siccum super carnem animalis. Si vulnus ibi fuerit, dolorem affert & irrodit: Sin vero vulnus ibi non sit, nullum omnino affert dolorem.*

V.

Ac denique ipsum actum subjiciunt v. XXVI. & seqq. *Et pagillo acceptum Sacerdos de munere illo suffimentum memoriale ejus adolebit in altari; Et postea curabit, ut mulier illa bibat aquam istam. Quum enim curaverit eam bibere aquam istam, erit, si immunda facta fuerit, fidemque omnino fefellerit in virum suum, ut intrante in eam aqua illa, quae maledictionem importat ad amaritudinem, intumescat venter ejus & cadat femur ejus: Sic erit mulier illa in dirarum formam apud Populares suos. Quod si non immunda facta fuit mulier illa, sed fuerit munda, tum insons erit, & consequetur semen. Ubi haec deinde intervenisse monent, si pota innocens esset domum rediisse Marito denuo licitam, auctamque fuisse venustatem faciei, corporis firmitudinem, foecunditatem Masculorum & cum facili quidem partu: Si vero Adulterii rea fuisset, illico faciem ejus expalluisse ac proruisse oculos atque ne templum Atriave ejus inquinaret, statim eductam, & intumescente ventre ac femore putrescente mortuam fuisse, nec dissimili modo eadem ipsa hora Adulterum mortuum, cujus nomine Aquas amaras bibisset. Si tamen alio morbi genere laborare inciperet, Marito nihilo secius licitam fieri potuisse.*

VI. At-



Atque ista hactenus ad notabilem istum ritum dictare libuit præeuntibus *Fagio & Munstero* in cit. *Caput Numer. & ex iis Seldeno Uxor. Hebr. l. III. c. XIII. XIV. XV.* Quibus nequid fidei derogetur; ipsum Textum Talmudicum Tractatus *Sotæ*, quem inter adolescentes curas nostras antehac interpretari conati fuimus, subjungimus:

Cap. I. 1. *Si quis Zelotypia causa commonefecerit Uxorem suam, R. Elieser dixit, commonefaciat eam coram duobus præbeatque aquas ipsi coram teste uno, aut etiam coram se solo. R. Jehoschuah dixit: Commonefaciat eam coram duobus & aquas præbeat ipsi coram duobus.*

II. *Quomodo commonefaciet ipsam? Dicat ipsi coram duobus: Ne loquere cum viro N. At si loquatur cum eo, adhuc licet ipsi frui domo sua & edere Trumam. Si ingressa fuerit Domum secretam cum eo, & degerit ibi, ut pollui potuerit, interdictum est ipsi frui domo sua & edere Trumam. At si moriatur, iure exuendi calcei valet, sed non affinitatis.*

III. *His autem interdictum est edere Trumam: Illi, quæ dicit, polluta sum à Te, quamque pollutam esse testes perhibeant: Et quæ dicit non bibam. Ac ne potum ipsi præberi non velit Maritus ejus, vel concumbat cum ipsa in via, postquam adduxerit eam ad Domum Judicii, quæ est in isto loco, addunt ei duos Thalmidim, &c.*

IV. *Abducant eam ad Synedrium Magnum Jeruschalaimam & terrefaciant ipsam, ad modum quo testes animarum terrefaciunt atque dicant ipsi: Filia mi multum vini in causa fuit, vel multum levitatis, vel multum Juventutis, vel multi vicini mali: Sine ne Nomen Magnum, quod scriptum est sancte, abluatur aqua, ac dicant coram ea, quod hisce talibus ipsa & tota Familia Patris ejus indigna fit.*

V. *Si dicat, polluta sum, irritas facit literas dotis suæ & exit.*



exit; At si dicat, pura sum, abducant ipsam ad portam versus orientem, quæ est ad ostium portæ Nicanoris. Ibi enim potant Adulterii suspectas, ac mundant puerperas & Leprosos. Et Sacerdos apprehendit eam vestibus, quæ si lacerentur extra futuram vel in futuram nihil refert, Idque fit eousque ut retegatur pectus ejus; Ac deinde evellit capillos ejus: R. Ijudah: Si pulchrum fuerit pectus ejus, non retegatur; Ac si pulchri fuerint capilli ejus, non evellantur.

VI. Si induta fuerit vestes albas, induat nigras; Si ornamenta aurea, Catenas, in aures, anulos, adimant ipsi, ut deformetur; Atque postea afferatur funis vimineus & ligetur supra Ubera ejus. Ac quicumque voluerit videre eam, veniat ac videat, exceptis Servis & Ancillis ejus, quia cor ejus assuetum est ipsis. Licet etiam quibuscunque Mulieribus videre eam: Dicitur enim, & moneantur omnes mulieres, ne faciant juxta pollutionem ejus.

VII. Mensura, qua homo metitur, eadem metiuntur ipsum. Hæc ornarat sese ad peccatum: Deus deformat ipsam; Hæc denudarat sese in peccatū, Deus denudat ipsam: Femore incepit peccare ac postea ventre; Sic punietur femur ejus primo, ac postea venter; Nec reliquum corpus effugiet. &c.

C. II. Tm. I. *Afferet Minchan ejus Corbe Viminea, atque det eam in manus ipsius, ut de laffetur. Omnium Mincharum initium & finis est in Vasis sanctis; Hujus v. initium est in Corbe Viminea, finis in vasis Sanctis: Omnes Mincha adjunctum habent Olium & thus, Hæc a. nec Oleum nec thus adjunctum habet; Omnes Mincha peraguntur Tritico, hæc a. peragitur hordeo; Mincha offeruntur cum Spicis, quantumvis sint de Hordeo, hæc offertur contusa & in farinam redacta. R. Gamliel: Sicut factum ejus est Brutum, sic sacrificium ejus quoque, Cibus Bruti est.*

C. III. Tm. II. *Quamdiu non abluta fuerit Scheda ejus, si dixerit, se non bibituram, Scheda ejus abscondatur, & Min-*  
*cha*



cha dispergatur super cinerem, nec apta est Scheda eius, qua potetur alia Sota: Abluta Scheda si dicat, se pollutam esse, effunduntur aqua, & Mincha eius spargatur super cineris locum. Abluta v. Scheda, si dicat se nolle bibere, nudent eam, atq; in vita licet potum infundant.

Tm. IV. Non desinit bibere, usq; dum facies ejus tetro virore squaleat, Oculi promineant ac venae turgescant, Tum dicant: Educite illam, ne contaminet Atrium &c.

C. IV. Tm. I. Excipiuntur Desponsata, Fratris cujus Nuptiae à Leviro expectantur, Vidua Sacerdotis magni, Ejecta, quae jure exuendi Calcei fruitur, ac nupsit Sacerdoti Inferiori, Spuria & Nethina, quae nupsit Israelita; Filia Israelis quae nupsit spurio vel Nethino, quae non bibunt, nec literas Dotis accipiunt.

Tm. III. Sterilis, Senex & quae non apta est, ut liberos habeat, non accipiunt literas Dotis, nec bibunt.

Tm. IV. Uxor Sacerdotis bibit &c. Uxor Eunuchi bibit cujuscunque turpitudinis nomine.

Tm. V. Etiam illae sunt, quas excipit Domus Judicii, cujus Maritus surdus est redditus, aut insanus, aut Carcere detentus, ei potum non praebeant, sed excidant literas Dotis.

C. IX. Tm. IX. Ex quo multi redditi sunt Adulteri, desierunt Aquae Amarae & Rabban Jochanan Filius Zacai sustulit eas; Dicitur enim: Non visitabo filias vestras, scortabuntur enim, & sponsas vestras, quia adulterabuntur.

### CAPUT III.

Aquae Calidae Exempla, Leges, Siamensium ritus, Formula Benedictionis  
Aquae Calidae: Frigidae in Fervidam mutatae exempla: Immersionis in eandem exempla, Leges, modi, Formula.

I.

**A**QUA, quam Mediis Christianismi Seculis explorandae Innocentiae adhibuerunt, calida seu potius fervida erat, vel frigida. Aquae Calidae Judicium veteres Frisii Refelsang dixerunt,



re, ab olla vel cacabo, in quo Aqua effervescebat. *Siccam. ad LL. Frisior. p. III.* Ejus Exemplum proposuimus *prac. c. I. §. VI.* in Ludovico Rege Germaniæ, pro confirmando Jure suo. Ac simile narrat *Gregor. Turon.* de Diacono Catholico & Presbytero Ariano, qui Disputationem suam succendendo igni æneo & Anulo in Aquam ferventem projiciendo firmatam voluere, ut ille, qui Anulum ex Aqua ferventi tollere posset, vera sentire censeretur. His itaque, pergit, litigantibus supervenit Diaconus alius ab Urbe Ravenna, Hyacinthus nomine, sciscitansque, quæ esset hæc altercatio, ut veritatem cognovit, non moratus extracto ex Vestimentis brachio in æneum dexteram mergit: anulus autem, qui injectus fuerat, erat valde levis ac parvulus, nec minus ferebatur ab unda, quam vento ferri posset vel palea: Quem diu multumque quæsitum infra unius horæ spatium reperit: accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validius fervens non facile posset assequi anulus à manu quærentis. Extractoque tandem nihil Diaconus sensit in carne sua; Sed potius protestatus in imo esse frigidum æneum, in summitate verò calorem teporis modici continentem. Quod cernens Hæreticus valde confusus injecit manum audax in æneo, dicens: Præstabit mihi hæc fides mea. Injecta manu protinus usque ad ossium internodia omnis caro liquefacta defluxit, & sic altercatio finem accepit. *de Glor. Mart. L. I. c. LXXXI.* citante *Del Rio l. c. Rosvveido de Fide Hæret. serv. c. XII.* Nec abludit ab hoc ritu Siamesinam Consuetudo, licet materia non nihil differens, qua ille causam obtinet, qui manibus in fervens Oleum immisissis eas vel nihil, vel minus, quam alterius ambustas extrahit. *Append. ad Descr. Varen. p. 248. & T. II. Navig. Belgic. N. ult. p. 208.* Et de Ceylonensibus extat testimonium *Joh. Jac. Saar Itiner. p. 55.* wann Sie sonst ins gemein was becheuren wollen/ soll die Confirmation diese seyn/ daß sie Butter wol-



wollen lassen heiß machen und die Hände drein legen: wenn Sie  
unrecht geschworen/ werde es brennen; So es aber recht sey/ wer-  
de ihr Gott nicht zu lassen/ daß Sie ihre Finger in dem brenn-  
heissen Schmalz versehre: Auf welches wir sie/ inquit porrò, so  
wir sie in Argwohn eines Diebstahls gehabt/ gedrungen/ und  
manchmal das Verlohrne wieder erlanget haben/ weil sie sich bes-  
orgeten/ daß sie/ so sie wieder besser wissen es hinterhielten/ sich ver-  
brennen sollten. Leges hac facientes apud Frisios occurrunt: ut  
Tit. Thiubda III. §. VI. *Si res grandis erat, in reliquis juret  
servum, aut ad Judicium Dei in Aqua ferventi examinet.* Item  
§. II. *Si quis in furto deprehensus fuerit & ab ipso, qui eum de-  
prehendit, furti arguatur, & negaverit, juret uterque solus, &  
ad examinationem ferventis Aquæ Judicio Dei probandus ac-  
cedat.* Et Tit. de Homine in Turba occiso XIV. §. III. *Is qui  
compositionem Homicidii querit in reliquis Sanctorum juret, se  
non alium de hac re interpellaturum, nisi eos, qui ei ipsius homi-  
cidii suspecti sunt, & tum unum vel duos vel etiam tres aut qua-  
tuor, vel quotlibet fuerint, qui eum, qui occisus est, vulnerave-  
runt, de homicidio interpellat. Sed quamvis viginti vel etiam  
triginta fuerint non tamen amplius, quam septem interpellandi  
sunt, & unusquisque eorum, qui interpellatus est, sua duodeci-  
ma manu juret, & se post Sacramentum Judicio Dei examinan-  
dum ferventi aqua innocentem ostendat. Qui primus juravit  
primus ad judicium exeat, & sic per ordinem.* Vid. LL. Frisiorum  
ed. Sibr. Siccama ejusdemque Notæ ad h. l. Adde Hotomann.  
de Feud. c. XLIV. & Capitular. Caroli M. incerti Anni c. XXXIII.  
*Si Servum Cujuslibet absque aliqua comprobatione comprehen-  
derit, ipse servus aut ad Aquam Ferventem aut ad aliud Judi-  
cium se idonei faciat ap. Goldast. T. III. Const. Imp. f. 142.*

## II.

Isthæc simul docent Furibus, homicidis, maximè autem  
servis imposita fuisse hæc Examina. Confirm. L. 7. Longob. de

D

Mo.



*Monomach. si quis ex levi causa, aut sine causa homines in Ecclesia interfecerit &c. Si proprius servus hoc admiserit* Judicio Aquæ ferventis examinatur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset; Et si manus exusta fuerit, interficiatur. Adde L. 13. ib. Sic etiam Ranulphus de Glanvilla L. XIV. c. 1. Tenetur se purgare is qui accusatur per Dei Judicium, sc. per calidum ferrum, vel per Aquam pro diversitate conditionis hominum: Per ferrum calidum si fuerit homo liber, per Aquam si fuerit Rusticus. Et inter paucissima est quod Seldenus ex Hoveden. L. II. Annal. profert Jan. Anglor. L. II. exemplum Johannis Senis nobilis & divitis cui sub Henrico II. cum imputata esset Fratris Comitis de Ferrariis cædes & Aqueo se non expediret Judicio pœnas dedit patibuli. Confer. *VVorm. Monum. Dan. L. I. c. XI.* Eventus erat, ut si innocentes essent, manum non adustam vel illæsam extraherent, quod ipsum ex recensitis exemplis patuit & Formula in Consecratione Aquæ usitata indicat; ut si hic homo manum suam in hanc Aquam igne ferventem miserit & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei prestare digneris, ut nulla læsio vel macula in eadem appareat manu: Vel ut *Aventinus* eam indicat *Annal. Bojor. L. IV.* Domine manum illius salvam & illæsam perducas. At si quis culpabilis vel incrassante Diabolo cor induratum præsumserit manum mittere, tua justissima Pietas hoc declarare dignetur, ut in ejus corpore tua virtute manifestetur, & anima illius per pœnitentiam salvetur. Confer *Delrio Disquis. Mag. L. IV. c. IV. Q. IV. S. IV.*

### III.

Modus procedendi erat, ut Judicem Reus accederet,isque postquam pronunciaffet Ordalium seu Purgationis Judicium ad Vallum vel fossam Templi, quod Decanatus jure præsidebat cæteris futurum post XLII. noctes & Sacramenta præstita, ad fossam templi, tamen extra aquæ Benedictæ jactum, se sisteret cum Presbytero, Judicibus & quatuor Regiis testibus,



bus, qui dextram ejus inspicerent & illæsam pronuntiarent. Quo peracto Sacerdos Templi intra fossam & Aquæ Benedictæ jactum consistens precibus Judicium consecrabat, orabatque Deum &c. Pendebat extra vallum vel circulum Templi cacabus vel olla profunda plena aqua ferventi, in eam purgandus dextrum Brachium nudum ad cubitum usque immittebat. Tertio die templum intrabat cum testibus prænomminatis, brachiumq; visitandum offerebat. Quod si sanum & illæsum esset repertum, is qui alterum calumniatus erat perjurium Wergildo & Comiti sive Judici duas Libras solvebat: Quod si læsum & ambustum appareret, delictum cujus accusatus erat Comiti duabus libris, Decano Synodatico componebat. Ita *Siccam. ad LL. Fris. l. ante cit.* De moribus Anglo-Saxonum legere est in LL. Adelstani Regis ap. Brompton. Chron. p. 856. *Si Aquæ Judicium sit calefiat donec excitetur ad bullitum; Et sit Alsetum ferreum, vel æreum, vel plumbeum, vel de argilla. Et si Anfeothye sit immergatur manus post lapidem vel examen usq; ad VVriste; Et si triplex accusatio sit usque ad cabitum.*

#### IV.

Restant Benedicendi & Consecrandi Formulæ exhibendæ, quibus opus erat ad sollicitanda ut putabant cœlestia Beneficia. Atque ex iis præter illam ex Aventino laudatam aliam paulo ampliorem & à Ludovico Imp. confirmatam nunc proponimus, quam recenset *Goldast. Const. Imp. T. III. p. 25. 254.*

#### BENEDICTIO AQUÆ CALIDÆ.

**E**xorcizo te, Creatura Aquæ, nomine Dei Patris omnipotentis & in nomine Jesu Christi Filii eius Domini nostri ut fias Aqua exorcirata, ad effugandam omnem potestatem inimici, & omnem Phantasma Diaboli, ut si hic homo manum suam in te missurus est, innocens inde reputetur, & pietas Dei omnipotentis liberet eum: Et si, quod absit, culpabilis est, & presumtuose in te manum mittere ausus fuerit, ejusdem Omnipotentis virtus



*super eum hoc declarare dignetur: Ut omnis homo timeat & con-  
tremisecat nomen Sanctum gloria Domini nostri, qui vivit &  
regnat Deus &c.*

*Domine Jesu Christe qui es Judex Justus, Fortis & patiens,  
& multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus Deorum  
& Dominus Dominantium, qui propter nos homines & propter  
nostram salutem de sinu Patris descendisti, & ex virgine Maria  
carnem assumere dignatus es, & per Passionem tuam mundum  
in Cruce redemisti, & ad inferos descendisti, & diabolum in te-  
nebris exterioribus colligasti, & omnes Justos, qui originali pec-  
cato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti. Tu  
Domine quaesumus mittere digneris Spiritum tuum Sanctum ex  
Summa arce Caeli super hanc creaturam Aquæ, quæ ab igne  
fervescere & calefcere videtur, quæ rectum per eam Judicium  
super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te Do-  
mine Deus supplices deprecamur, qui in Cana Galilææ signo ad-  
mirabili tua virtute ex Aqua Vinum fecisti, & tres pueros, Sy-  
drac, Misac & Abednago de camino Ignis ardentis illæsos eduxi-  
sti, & Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos ape-  
ruisti, Lazarum quatruiduanum à monumento suscitasti, & Pe-  
tro mergenti manum porrexisti: Ne respicias peccata nostra in  
hac oratione, sed tuum verum & Sanctum Judicium coram ho-  
minibus in hoc manifestare digneris, ut, si hic homo pro hac re-  
putationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio,  
vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modo ad præsens ma-  
num suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabi-  
lis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio  
vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa ca-  
lumniam incurrat.*

*Iterum te Deus Omnipotens nos indigni & peccatores famuli  
tui, suppliciter oramus, ut sanctum, verum & rectum Judici-  
um nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic ho-*



homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium Diabolo instigante, aut cupiditate, vel superbia, culpabilis est, in facto vel consensu, & hoc comprobationis Judicium subvertere, aut violare volens, malo confusus ingenio, manum suam in hanc Aquam præsumtuose mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in ejus manu dignosci queat, quod injuste egit, ut & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens, ad emendationem perveniat, & judicium tuum sanctum & verum in omnibus declaretur gentibus, per te Redemptor Mundi, qui venturus es &c.

### III.

AQUA FRIGIDA dupliciter usurpabatur, ut itidem manum atque Brachium immergerent, & si sine noxa extraheretur, innocentia testimonium esset, si è contrario obrigesceret, aut ureretur, culpæ reos peragerent. Cujusmodi Exemplum referunt ex Historia Gangulphi Martyris, & Uxorem ejus in suspicionem alieni concubitus adductam ad Judicium, hoc ab ipso adjuratam fuisse scribunt: *Divina providentia, inquit, quam nihil fugit, ut se res habeat, jam certis declarabit indicis. En fons hic propositus est, nec frigidus valde, nec immodice calidus. In hunc igitur immitte manum & è fundo lapillum extrahere, & si quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris; Sin a. polluta es, non sinet Deus latere scelus tuum. Illa B. Viri, sicut alios omnes, ita hos quoque sermones recordie ascribens incunctanter Manum injecit in fontem. Ecce autem simul atque lapillum secum retrahere conata est, membris fere omnibus obrigescit & in digitis & brachio, quousque aqua pertigit, abstrahente cute, nuda caro cernitur, nihilque aliud misera illa nisi repentinum interitum expectat.* ap. Surium ad XI. Mal.

### IV.

Alter & communior AQUÆ FRIGIDÆ usus erat, ut reos aquæ immergerent, & si fundum peterent, innocentes pronuncia-



rent, si emergerent, damnarent. Experimentum hoc olim usurpatum est adversus veros Christi servos, qui populari convitio Albigenfes & Waldenses appellabantur; Quorum aliqui tracti ad Tribunalia, se à Waldensium doctrina alienos esse profitebantur, ut Capitis pœnam effugerent, atque hi purgationi per Aquam Frigidam committebantur, quodque corpora ipsorum attollerentur aliquando, statim à Turba occlamatum fuit, *Hereticus est & VValdensis*, & trucidabantur concursu Populi, ne expectata quidem Judicis sententia. *Molin. in Vate. L. III. c. XXIII.* Ad alios præterea translatum fuisse discimus ex Formula Pacis Alsaticæ apud *B. Rhenan. Germ. Rer. L. II.* Plebejus a. & minoris Testimoii rusticus *AQUÆ FRIGIDÆ* se expurget iudicio. cit. *Zuvinger. Vol. V. L. IV. p. 1360.* Ac simile quid hodiernum extra Europam inter Siamenses deprehendi commemorat *Schouten. l. ante cit. p. 248. Edit. Varen.* Reos, seu litigantes quoque, (hoc iudicio n. res suas promiscue expediunt) in Aquam demergi hoc modo, ut infigantur duo baculi fundo Aquæ, quorum ope se demittant ad ipsum fundum eodem tempore, Eumque qui longiori spacio duret sub aqua, seriusque redeat ad superficiem, absolvi & obtinere. In Europa v. etiam, cum alias evanuerint ejusmodi iudicia, hujus tamen usum retineri tot probæ seu probationes sagarum nos nescire non sinunt, rescriptis pariter ac factis adeo nota, ut nulla recensione nostra indigeat, quamque proximis hisce annis exempla Lemgovix & alibi in Westphalia &c. edita satis confirmarunt. *V. Jacobi R. Angl. Demonologiam, Tyraum, Remigium, Gödelmannum, Binsfeldium, Delirio & alios Rerum Magicarum Scriptores passim.*

V.

Modus hic est, ut quadrupedes constringantur, uti loquitur *Remigius*, seu ut explicatius *Gödelmannus L. III. c. IV*: ut Dextra manus sinistro pedi, sinistra v. dextro pedi alligetur, & sic



sic in Aquam projiciantur, ac postmodo, si incolumes ena-  
tent, pro manifestis Magis, si submergantur, pro insontibus  
habeantur. Is tamen apud Antiquos forte prætermisus fuit,  
cum Formulæ Veteres ejus nullam mentionem fecerint, è  
quibus iterum exactiorem unam præcunte *cod. Goldasto l. c.*  
enotamus.

### JUDICIUM AQUÆ FRIGIDÆ,

Cum homines vis mittere *ad Judicium Aquæ Frigidæ* ob  
comprobationem, ita facere debes : Accipe illos homines,  
quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & co-  
ram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & fac eos ad i-  
psam missam offerre. Cum autem ad communionem vene-  
rint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum  
adjuratione, & dicat : Adjuro vos homines, per Patrem & Fi-  
lium & Spiritum S. & per vestram Christianitatem quam sus-  
cepistis, & per unigenitum Dei Filium, & per sanctam Trini-  
tatem & per Sanctum Evangelium, & per illas Sanctas reli-  
quias, quæ in ista Ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo  
communicare, neque accedere ad Altare, si hoc fecistis, aut  
consensistis aut scitis quis hoc egerit : Si autem omnes tacue-  
rint, & nullus confessus fuerit, accedat Sacerdos ad Altare &  
communicet, separatis illis, qui examinandi sunt. Postea ve-  
rò communicent illi, quos vult in aquam mittere : Cum au-  
tem communicant, dicat Sacerdos per singulos ante altare :  
*Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad pro-  
bationem hodie ad laudem & gloriam nominis sui, & ad Ec-  
clesiæ suæ utilitatem.* Expleta missa faciet Sacerdos aquam  
benedictam & deferat eam ad locum examinis, ubi homines  
probantur : *cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faci-  
ens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, des-  
examinandis bibere de aqua illa benedicta.* Cum autem dede-  
rit unicuique, dicat : *Hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem*  
*hodie*



*hodie per Dominum nostrum Jesum Christum, qui est verus Ju-  
dex & Justus. Deinde conjuret aquam, ubi mittendi sunt.  
Post conjurationem autem Aquæ exuat illos vestimentis suis,  
& faciat illos per singulos osculari Sanctum Evangelium &  
Crucem Christi: Et posthac de ipsa aqua benedicta aspergat  
super unumquemq; hominem, & projiciat eos statim per singulos  
in aqua. Hæc autem omnia facere debet jejunus, neque illi  
antea comedant, qui ipsos mittunt in aqua.*

CONJURATIO AQUÆ.

*Adjuro te Aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis,  
qui te in principio creavit, quique te segregavit ab aquis su-  
perioribus, & jussit te servire humanis necessitatibus. Adjuro  
te etiam per invisibile & ineffabile nomen Christi Jesu Filii  
Dei vivi omnipotentis, sub cujus pedibus te calcabilem præ-  
buidisti, qui etiam in te baptizari dignatus est & suo baptismo  
consecravit. Adjuro etiam te per Spiritum Sanctum, qui su-  
per Dominum in te baptizatum descendit, qui te invisibili  
Sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenar-  
rabile constituit Sacramentum: per quam olim & populus Is-  
raëliticus siccis pedibus transivit, & ex qua ferrum, quod casu  
ceciderat, Heliseus Divina virtute contra naturam natans, in  
suo manubrio redire fecit; *ut nullo modo suscipias hunc homi-  
nem, si in aliquo culpabilis est* ex hoc, quod illi objicitur, scili-  
cet aut opere, aut consensu, seu conscientia, vel quolibet in-  
genio, sed per virtutem Domini nostri Jesu Christi *rejice ex  
te & fac illum natare super te*, quatenus cognoscant fideles  
Christi nullum maleficium, nullum præstigium Divinæ virtu-  
ti posse resistere, quod non detectum fiat & omnibus manife-  
stum. *Adjuro etiam* te per virtutem ejusdem Domini nostri  
Jesu Christi, ut ad laudem illius, cui omnis Creatura servit, &  
cui Cœlestis exercitus famulatur, clamans, Sanctus, Sanctus,  
Sanctus Dominus Deus exercituum, *ut nobis adjurantibus &  
ejus**



*eius misericordiam obtestantibus obedias, qui regnat & domi-  
natur per infinita secula seculorum. Amen.*

### HOMINIS CONJURATIO.

*Adjuro te Homo, & contestor per Patrem & Filium & Spi-  
ritum Sanctum & per Sanctam & individuum Trinitatem, &  
per omnes Angelos & Archangelos, & per omnes Principa-  
tus ac potestates, Dominationes quoque & virtutes, & per  
Dei Sedilia, Cherubim & Seraphim, & per Diem tremendum  
JUDICII DEI, nec non & XXIV Seniores, qui quotidie lau-  
dant Dominum, & per quatuor Evangelistas & per Sanctos  
quoque Apostolos, Martyres & Confessores: nec non & per  
Sanctam Genitricem Dei Mariam, omnesque Virgines, &  
per cunctum populum sanctum Dei, & per sanctum bap-  
tismum, in quo renatus es, *si tu hoc malum fecisti*, ex quo cul-  
paris, vel assensum præbuiisti, aut bajulasti, aut in Domum  
tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus extitisti,  
coram omnibus dicito: Quod si Diabolo suadente, celare  
disposueris, & culpabilis exinde es, *evanescat cor tuum in-  
crassatum & induratum, & non suscipiat te Aqua incredulum  
& seductum*, ut dicat Populus, quia Deus noster Judex est, cu-  
jus potestas in secula seculorum, Amen.*

*Post conjugationem aquæ, exuat illos vestimentis illorum,  
& osculari sanctum Evangelium & sanctam Crucem faciat, &  
sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore & reve-  
rentia fidus de ejus Clementia projiciat in aquam.*

Hoc Judicium autem petente Domino Ludovico Im-  
peratore constituit Beatus Eugenius, præcipiens ut omnes  
Episcopi, Comites, Abbates omnisque Populus Christianus,  
qui infra ejus Imperium est, hoc judicio defendant innocen-  
tes & examinent nocentes, ne perjuri super reliquias San-  
ctorum perdant suas animas in malum consentientes.

E

CA-



## CAPUT IV.

*Ferri Candentis consecratio: Exempla ejusdem: Exempla Ignitorum vomerum: Prunarum, Chirothecarum, Tunicae Cerata: Exempla meri Ignis, Savanorola & Hussi Provocationum Examen, Excursus de Vita Savanorola: Librorum in Ignem missio, De Libro Joh. Arndii memorabilia.*

### I.

**P**ROGREDIMUR ad IGNIS JUDICIA magno usu simul ac varietate conspicua; Sic enim ipsi Ignes ac rogi, modo Prunæ, tum Ferræ Candentia, Chirothecæ candentes, Vomeres Igniti, & sim. adhibebantur, solenniter consecrabantur, & gestabantur, eventu apud omnes simili, ut siquid præternaturale admitterent, & illæsum præstarent gestantem, ille nulla ulteriori Disquisitione facta innocens pronunciaretur. Nos singulorum speciales circumstantias referemus, si sacros ritus hic fieri solitos primo exhibuerimus, prælucente *ex MS. Anglicano Boxhorn. Hist. Univ. ad A. MV. p. 582.* qui licet Ferrum potissimum spectent, alibi tamen etiam facta solius materiæ mutatione adhiberi potuisse ipsa verborum series testabitur:

*Post accusationem legitime factam, & triduum in jejuniis & oratione consumptum, sacerdos vestibus Sacris præter causiam indutus, ferrum ante Altare positum forcipe accipiat & hymnum triumphatorum, videlicet, benedicite omnia opera, decantans ad ignem deferat & dicat hanc orationem super locum, ubi fiet ignis ad faciendum Judicium.*

*Benedic, Domine Deus, locum istum, ut sit nobis in eo sanitas, sanctitas, castitas, virtus, & victoria & sanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas & plenitudo Legis & obedientia Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Hæc benedictio sit super hunc locum & omnes inhabitantes in illo.*

*Benedictio super Ignem: Domine Deus, Pater omnipotens, Lumen indeficiens; exaudi nos, quia tu es conditor omnium lu-*

*mi-*



minum. *Benedic Domine hoc lumen, quod ante sanctificatum est, quo illuminasti omnem hominem, vel mundum, ut ab eo lumine igne accendamus claritatis tue. Et sicut igne illuminasti Moysen, ita nunc illumina corda nostra, & sensus nostros, ut ad vitam eternam mereamur pervenire per Christum, &c. qua finita dicat, Pater noster &c. Salvum fac Servum &c. Mitte ei auxilium Deus, &c. De Sion tuere eum &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiscum &c.*

*Oratio. Benedic Domine, Sancte Pater, omnipotens Deus, per invocationem sanctissimi nominis tui & per adventum Filii tui atque per Donum Spiritus Paracliti, ad manifestandum verum Judicium tuum hoc genus metalli, ut sit sanctificatum, ut omni Demonum falsitate procul remota veritas veri Judicii tui fidelibus tuis manifesta fiat per eundem Dominum, &c.*

*Post hoc ferrum in ignem inittatur & aspergatur Aqua benedicta, & dum calefcit, missam celebret. Cum vero Sacerdos Eucharistiam sumserit, hominem probandum (sicut infra scriptum est) adjuret, atque communicare faciat.*

*Officium Missæ: Justus es Domine & rectum Judicium tuum &c. Oratio. Absolve quaesumus Domine tui delicta famuli, ut à Peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur. Et in hoc Judicio quoad meruit, justitia tua præveniente, ad veritatis censuram pervenire mereatur per Christum Dominum, &c.*

*In illo tempore cum egressus esset Jesus, in via quadam præcurrens genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam, ut vitam eternam percipiam? Jesus autem dixit ei, quid me dicis bonum &c.*

*Deinde secreta &c. Antequam vero communicetur, interroget Eum Sacerdos cum adjuratione sic: Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum & per veram Christianitatem, quam suscepisti, & per Sanctas Reliquias, quæ in ista*



Ecclesia sunt, & per Baptismum, quo te Sacerdos regeneravit, ut non præsumas ac ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecisti, aut consensisti &c. *Hic communicet Sacerdos illum & dicat: Corpus hoc & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodie.*

*Oratio. Perceptis Domine Deus noster sacris muneribus, supplices deprecamur, ut hujus participatio Sacramenti à propriis nos reatibus expediat, & in famulo tuo veritatis sententiam declaret &c. Deinde Kyrieleison, & litania, & Psalmi, & tunc oremus:*

*Deus qui per ignem signa magna ostendis, Abraham puerum tuum de incendio Chaldaorum quibusdam pereuntibus eruisti; Qui lucum ardere ante conspectum Mosis & minime comburi permisisti; Deus qui incendio Fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illos eduxisti; Deus qui incendio ignis Populum Sodoma involvens, Loth famulum tuum cum suis salute donasti; Deus qui in adventu Sancti Spiritus tui illustratione ignis fideles tuos ab infidelibus discrevisti, ostende nobis in hoc pravitatis nostrae examine virtutem ejusdem Spiritus &c. Et per ignis hujus fervorem discernere Fideles & infideles, ut à tactu ejus, cujus inquisitio agitur, conscius exhorrescat, & manus ejus comburatur, innocens verò penitus illæsus permaneat &c. Deus cujus notitiam nulla unquam secreta effugiunt, fidei nostrae tua bonitate responde & presta, ut quisquis purgandi se gratia hoc ignitum tulerit ferrum, vel absolvatur innocens, vel rei noxius detegatur. Deinde Sacerdos super ferrum aquam benedictam spargat & dicat: Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus S. descendat super hoc ferrum ad discernendum rectum judicium Dei. Et mox accusatus ad novem pedum mensuram Ferrum perferat. Hujus denique manus sub sigillo triduum tegatur, & si sinus crudescens in vestigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur: sin autem mundus extiterit, laus Deo referatur.*

Plu-



Plures hujus rei circumstantias præbet *Chronicon Jo-*  
*han. Bromptoniè LL. Adelstani Regis p. 856. De Ordalio præci-*  
*pimus in nomine Dei & præcepto Archiepiscopi & omnium Epi-*  
*scoporum, ne aliquis intret Ecclesiam postquam Ignis infertur,*  
*unde Judicium calefacere debet, præter Presbyterum & eum qui*  
*ad Judicium iturus est. Et sint mensurati IX. pedes à Staca usque*  
*ad Marcam ad mensuram pedum ejus qui ad Judicium ire debet.*  
*Et sic Aquæ judicium sit. &c. Quæ verba jam superius citata c.*  
*III. §. I. sequiturque mox: Et quando Judicium paratum erit, in-*  
*grediantur ex utraque parte duo homines, & certi sint, ut ita ca-*  
*lidum sit, sicut prædiximus; Introeant totidem ex utraque parte,*  
*& det eis osculari Textum sancti Evangelii & Signum Sanctæ*  
*Crucis; Et nemo faciat ignem diutius, quam Benedictio incipiat,*  
*sed jaceat ferrum super Carbones usque ad ultimam Collectam,*  
*postea mittatur super Staphas, & non sit illic alia locutio, quam*  
*ut precentur sedulo Deum Patrem, ut veritatem suam in eo ma-*  
*nifestare dignetur. Et bibat accusatus aquam benedictam & in-*  
*de conspergatur manus ejus, qua Judicium portare debet & sic*  
*adeat: Novem pedes mensurati distinguantur inter terminos. In*  
*primo Signo secus Stacam teneat pedem suum dextrum; In secun-*  
*dum sinistram pedem; In tertium signum quando ferrum projici-*  
*et & sanctum altare festinet, insigilletur manus ejus & inquirat*  
*ur die Tertia si mutaminum sit (h. si manus munda vel im-*  
*munda sit) intra consigillationem. Et qui Leges istas fregerit, sit*  
*Ordalium, sit Judicium vel examen factum in eo, reddat Regi*  
*CXX. §. VVite.*

## II.

Ferrum candens ejusmodi pro Regno Ludovico contra  
Carolus Calvum Imp. asserendo adhibitum fuisse ex *Sigonio*  
& *Avent. L. IV. Annal. Boic.* jam supra diximus. Similiter *Ri-*  
*charda Caroli III. Imp. Uxor Adulterii crimen diluit, Avent.*  
*cit. lib. IV.* Et *Comitis Mutinensis ab Imp. Ottone III. injustè*  
*occisi Vidua Mariti sui innocentiam ita probavit: Amaverat*



Augusta Ottonis illum Comitem, utpote forma pulcherrimum, sed eo potiri non potuit. Itaque tentat & pudicitiam eum coram Imperatore accusat, à quo obtruncari jubetur. Sed intervenit postea Comitiss Uxor & coram Imperatore Ferrum candens poscit, portat, stringitque, ut flores, ignitum metallum. *Baron. ad Annum C M X C I X.* Confer *Godofred. Viterbiens.* qui ligato Sermone hanc historiam prodidit. Item *Eadmerus* Scriptor Anglicus in *V Vilh. II. L. II.* refert quinquaginta circiter viros nudis manibus *Igniti Ferri* Judicium absq; inustione sustinuisse. *Helmoldus* testatur *Chron. Sclavon. c. LXXXIV.* Sclavis post amplexam veram Religionem interdictum fuisse per arbores, fontes & lapides jurare; Sed de criminibus suspectos Sacerdoti vel ferro vel Vomere examinandos oblatos esse. Quam Legem & Flandris suis Philippus Comes pro declaranda sententia tulit Anno 1164. Si quis vulnus in nocte acceptum alii imputaverit, si Scabinis dignum videtur, Ferro Candenti se excusabit accusatus, si aufugerit, manum perdet. Item, si Fur vocatus accusatus fuerit, Ferro Candenti se excusabit, si culpabilis permanserit, suspendatur. *Ex Chronico Flandriae Zuvingerus vol. V. lib. IV. fol. 1360.* Et apud Japanenses denique, si quis furti accusatus, sed non satis convictus sit, non dispar examen instituitur, *Ferri frustum quadrata forma, cujus crassities unius digiti, longitudo quadrantis Ulnæ ignitum reddunt: Deinde fervore aliquantulum imminuto, donec cæruleus color igneo succedat, imponunt utrique Palmæ manus ejus, de quo furti est suspicio, uno tamen vel altero Chartæ folio interjecto, in quo Daemonum imagines ad manum illæsam servandam depictæ sunt; Charta cremata & ferro rejecto, si manus illæsa mansit, absolvitur reus, si vel leviter violata sit, furtum commississe judicatur.* *Varen. descript. Japan. p. 117.*

III.

De Ignitis Vomeribus extat Lex Francica L. IV. c. LVII. si

612



cui de Libertate lis mota sit & cognatum interfecerit, Si negaverit se illum occidisse, per novem vomeres ignitos Judicio Domini examinandus accedat: Quæ Lex etiam extat in *Lombarda L. I. T. XI. de parric. §. III.* Ritus erat, ut Reo caput obnubertur & nudis pedibus per novem candentes vomeres lustralibus precibus incantatos & in certa distantia positos duceretur, & si indemnis eos transiret, absolveretur: Quemadmodum differit Commentator Epistolæ Baconis ap. *VVorm. l. sepe cit.* Calcavit eos Emma Eduardi Confessoris Regis Angliæ mater, quæ rem cum Wintoniensi Episcopo incontinentius habuisse insimulata Judicio Archiepiscopi Cantuariæ novem ignitos vomeres pleno premens vestigio singulos (hoc enim curabant utrinque Episcopi) totidem passibus supergressa est, nec ferrum obcæcata discernens, nec incendium casta sentiens. *cit. ex Scrr. Angl. Spelman. l. c.* Item Cuningunda Henrici II. seu aliorum stylo I. Conjux virginea, quæ cum nomine illicitæ consuetudinis cum Nobili Aulico traduceretur, tandem ad id confugit, ut calcando ignitos vomeres se esse declaraturam innocentiam suam diceret, & cum per horum undecim illæsa ambulasset, fertur in duodecimo substitisse, protestata pudicitiam suam neminem omnium unquam delibasse, monstraturque Bambergæ nunc etiam Parvum Fanum cum columnis in orbem collocatis propter Templum Magnum, quo in loco ea res gesta esse memoratur. *Vid. Camer. Oper. Subcis. Cent. II. c. XIII.* Quo certus simul judiciisque Germanicis consuetus numerus duodenarius indigitatur, quem & in historia Abbatis Stadenensis de cæde Christiani Comitis Oldenburgici deprehendimus: *Christianus Comes de Aldenborg de terra promissionis reversus, consilio Fratris Mauricii dormiens in vili Horreo cultris est occisus. Interfectores examinati Judicio duodecim Vomerum Rotæ supplicio sunt affecti. Confer Hamelman. Chron. Oldenburg. part. II. c. III.* Præter quem

tas



tamen & Novenarium receptum fuisse Lege superiori & Ex-  
emplo Emmæ patuit. Similiter Haraldus Hibernicus, cum se  
Magno Hiberniæ populatore procreatum astrueret, affirmationi  
sue fidem divini Examinis argumento prestare iussus, super can-  
dentes laminas nudatis plantis (nam id ab eo experimentum  
poscebatur) incescit. Hisdemque nulla ex parte corruptioribus,  
complures Norvagiensium liquido incolumitatis miraculo ad as-  
sertionis sue credulitatem perduxit. Sax. Gram. Hist. Dan. L. XIII.

IV.

Deinde & cum Prunis aliquando contendere voluerunt.  
Ita Briccius Turonensis Episcopus prunas candentes vesti-  
menti lacinia exceptas, sine noxa per urbem tulit, ut à falso  
stupri crimine se liberaret *Zuvinger. loc. ante cit.* Et Haraldus,  
ut Magno Norvegiæ Rege se natum probaret, super ardentes  
prunas nudis pedibus incescit, eoque complures in partes su-  
as pertraxit, vid. *Cranz. l. V. Norvegia. c. VI.* Chirothecis item  
& tunicis ceratis res expedire placuit. Sic Poppo cum Danos,  
ne Fana excolerent, sermone flectere non posset percontatur  
an monitis suis obsecuturi essent, si ad flagrantis ferri tactum  
manum ejus læsione vacuum conspexissent, universis haud  
dubiè parendum respondentibus, candentem ferri laminam  
chirothecæ formam habentem expediri iussit, eique brachi-  
um cubito tenus inseruit, ac protinus per omnes interritè  
circumlatam ante Principis pedes excussit, dextramque nulla  
ex parte corruptam in eodem incolumitatis colorisque habi-  
tu religiosæ omnium admirationi conspiciendam monstra-  
vit. Quo tam mirifico spectaculo, alioqui inexorabiles, studio  
suo consentaneos reddit: Effecitque, ut periculum non impe-  
dimentum monitorum ejus esset, sed experimentum. Enim-  
verò ipsam rerum naturam audacis voti constantia superavit.  
Quæ verba sunt *Saxonis lib. X. historia Danor.* Idemque Poppo  
tunicam indutus ceratam cum staret in medio populi circo,  
in



in nomine Domini præcepit incendi: Ipse verò oculis ac manibus in cœlum porrectis, liquentes flammæ tam patienter sustinuit, ubi veste prorsus ambusta, & in favillam redacta, hilariter ipse vultu ne fumum incendii se sensisse testaretur. Cujus novitate miraculi, & tunc multa millia per eum Christo Domino crediderunt, & usque hodie per populos & Ecclesias celebre Popponis nomen ubique servatur. *Cranzius Metropolis L. III. c. XLII.*

V.

Merum ignem etiam aliquando adhiberi opus fuit: Ita Bonifacius Busclavini Sclavorum Regis Filius, Russos ad Christianismum adduxit, dum *stridentes flammæ globos ingressus ita exivit illesus, ut nec minimus capitis ejus capillus exustus videretur. Petrus Damianus in vita Sancti Romualdi c. XXIX. & XXX.* Et Petrus Massiliensis Presbyter ab invidia conflata ut se purgaret, ad Judicium flammæ descendit, sanctamque lanceam nudato corpore manu gestans, per coercitorum late lignorum struem ardentem mediosq; ignes evasit. *Zvvinger. loc. ante cit.* Atque idem de Hieronymo Savanorola Monacho Dominicano Florentino testatur *Majolus Dierum Canicul. Tom. II. Dial. III. c. V. & DelRio L. IV. c. IV. Q. IV. S. III.* Et de Johanne Hus *Rosvveido de fide Hereticis servanda c. XII.* Sed Hussum quod attinet, credimus eum proprie dictas flammæ intellexisse, quibus sciebat jam ante se addictos fuisse, qui abusus Ecclesiæ Romanæ liberius traduxerant, testarique voluisse se rerum ac Sententiæ suæ adeo certum esse, ut ignominiosos Ignis cruciatus etiam non reformidaret. Id enim ex verbis ejus, quæ citat Rosvveidus ex *Epist. ad Colleg. Cardinal. de A. MCCCC XI.* colligi facile est: *Paratus sum coram alma Universitate Studii Pragensis, omnibusque Prelatis, omnique populo mei Auditorii, ad quod me refero, de fide, quam corde teneo, verbo & scripto profiteri, etiam*

E

Ignis



*igne ad audientiam apposito plenam & claram reddere rationem.* Contra vero plane præter rem est, quod Rosveidus inde ducit, Hussum extremo Ignis Judicio, cujus experientiam in fidei testimonium ante exoptasset, unanimi Patrum suffragio addictum fuisse, & Ignem in hominem sæviisse, totumque depavisse: Cum non ad Judicium, sed ad Supplicium Ignis à Patribus istis damnatus fuerit, eademque Instantia omnes antiquos martyres maneat, quorum fides si ideo vacillavit, quod vitæ periculo non potuerint eximi, habebimus totam Religionem Christianam periclitantem & vacillantem. *De Savonarola merito dubitamus, an Vir Sagacissimus ad Judicium ejusmodi unquam provocare potuerit, maxime cum Comineus, quem Majolus & DelRio tam confidenter citant L. V. de Bell. Neap. c. XIX. prorsus alia de eo tradat, ipsumque refugisse res ejusmodi, & aliquem tantummodo, non quidem ab ipso subornatum, sed tamen vices ejus suppleturum, id periculi subire voluisse diserte scribat: Novi Magistratus Florentini odio affecto Hieronymo submissum fuisse Monachum Franciscanum, qui cum illo rixari cœperit, hæreticumque ac Impostorem vocaverit. Ea contentio sic exarsit, ut diceret, velle se demonstrare esse hominem nefarium & hæreticum, nisi faciat, non recusare flammam & capitis pœnam atque hæc omnia coram Magistratu dicebantur. Cum autem Hieronymus Flammam atque supplicium refugeret, quidam ejus familiaris paratum se esse dicebat, ipsius causa periculum subire, & ex Franciscanis inventus est, qui idem profiteretur. Ad constitutum diem cum ambo venissent, comitati sui ordinis Monachis, Dominicanus præferebat manibus Azyzum Panem consecratum, quod corpus Domini vocant, Franciscani autem & Magistratus urgebant, ut à se deponeret, quod cum ille pertinaciter recusaret, domum utrique reverterunt. Tunc addit Populum ab adversariis incitatum ipsum cum*  
duo-



duobus aliis tormentis subiecisse, & tandem cremasse. Nec prætereundum est Intercurrentiū effectuum hoc specimen, quod altera pars Defensorem Savonarolæ consecratam Hostiam gestare nollet: Si enim causæ suæ confidebant, cur non manibus admitterent, cujus orali perceptione in antecessum necessario muniendi erant, veluti ex Formulis ante laudatis liquido constat; Aut cur non idem factitarunt; Aut si quid incantamenti interventurum metuerent, cur conceptis precibus suis contra incantamenta ejusmodi in citatis iisdem Formulis ea dispersum iri diffidebant. Cætera negotia Savonarolæ non adeo nostra nunc faciemus, & innotuit alias singularium revelationum ac Prophetiarum nomine, quas peculiari epitome consignavit, edita post mortem ejus ab *Hieron. Benivenio*. unde & tanquam Prophetam & Virum piū ac eruditum prædicat *Phil. Comineus l. ante cit. & Job. Francisc. Mirandulanus Apologiam* ejus scripsit, eumque passim Prophetam appellat; Item *Christi Sectatorem & ejus Doctrinæ fidum Interpretem* L. II. c. IIX. Iterum causam Savonarolæ male cognitam fuisse Pontifici utpote subdole ab iniquis suggestam. *Apol. L. II. c. III.* Mandatum Pontificis fuisse impossibile *c. IV.* Illud exequendum haut fuisse *c. V.* Savonarolam jure rescripsisse Pontifici, nec unquam eum censuram incurrisse *c. VI.* Aperteque causam ejus defendunt *Sabellius. Rer. Venet. Ennead. IX. L. IX. Ferronus L. II. Rer. Franc.* aliique Scriptores Gallici, (Gallicis rebus enim in Prophetiis suis videbatur esse addictior) præter *Naudæum in Apolog. eorum, qui Mag. suspecti fuerunt c. XVI.* qui pietatem ipsius simulatam & revelationes fictas fuisse scribit. Ac nostri præterea in ipso Studium orthodoxiæ & Reformationis Ecclesiasticæ commendant: Hinc inter testes contra Pontificios collocatur ab *Illyrico in Catalog. Testium Veritatis, Beza in Elogiis & Iconibus Viror. Doct. Morn. Myster. Iniqu. Croc. in Marty-*



*rolog. L. 2. f. 166. aliisque hujus materiae Scriptoribus &c. Et Marc. Anton. Flaminius, in Epitaphio ejus Religionem introducit loquentem:*

*Crudeles parcite Flammae,*

*Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.*

Indeque factum, ut Scriptoribus Catholicis aliquibus odio haberetur. Prophetias ejus quod attinet, eas ex parte prudentes & Politicas conjecturas fuisse arbitramur; Politicum insignem enim fuisse ipsi adversarii ejus non diffeffi sunt: Potuisse tamen praedicta quaedam casu evenire, aut eum aliquid ab amicis suis in Regis Galliae & Florentinorum Consilio statuentibus, quid faciendum esset, accepisse, non plane negabimus; Supplicium ejus deinde quod attinet, nihil insoliti est, Monachos & Ecclesiastas rebus Politicis immisceri: Probabile tamen, ipsum ad Consilia vocatum fuisse, cum inter Florentinos maximae autoritatis esset, quemadmodum initio hujus Seculi talis erat apud Venetos *Paulus Sarpinus Servita* Reip. Consiliarius & summe Politici Scripti de Historia Concilii Tridentini Autor. Id vero certum simul in mutationum & Factionum Politicarum casu saepe praestantissimos viros, tanquam inter contrarios fluctus opprimi salvo interea ipsorum candore & innocentia. *V. plur. Voet. Vol. II. Disp. de signis & Prophetia p. 1068. & seqq.*

VI.

Deinde non tantum personas, sed res etiam Ignito huic subjecerunt Examini, quod in causis Religionis potissimum fieri siverunt, Ignique Libros injecerunt, & ex eorum incolumitate veritatem sententiae suae collegerunt. Sic Russos conversos narrat ex *Job. Curopal. & Cedren. in Basil. Zonar. Ann. T. III. ad A. DCCCLXVII. Rosoveidus l. ante cit.* Archiepiscopum à Basilio Imp. ad Russos Religionis causa missum, cum juberetur in Evangeliorum Libro, tanquam tot miraculorum



lorum Teste, miraculum edere, Librum in fornacem projec-  
cisse, illæsumque consumpta ignis materie exemisse. Idem  
in contentione de Officio Divino Mozarabico & Romano  
in Hispania evenisse *ex Marian. de Reb. Hisp. L. VI. c. XIX.*  
superius docuimus: Quibus plane simile exemplum est, li-  
cet JUDICIIS DEI istis forte majus, & Verorum DEI JUDI-  
CIORUM, non obscurum testimonium, quod in Vico Langen  
Gönsß A. hujus Seculi XXIV. Joh. Arndi Libro, dem Pa-  
radiesgärtlein/ *Ed. Jena MDC XXI.* accidit, qui cum à milite  
Catholico in ardentem fornacem injectus esset, post aliquot  
Horas à Flammis illæsus inde extractus fuit. *V. Mercur. Fran-  
cois T. X. p. 309.* Harsdörfer/ *Schauplatz Lust- und Lehrreicher  
Geschichter/ Cent. II. n. 11.* Prostatque hac de re peculiaris  
Tractatus cum Titulo: Ausführliche Relation und warhaffter  
Bericht/ was sich zu Langen Gönsß in Hessen mit des Hoch-Gr-  
leuchten/ Geistreichen und Weitberühmten Christlichen Lehrers  
Herrn Johann Arnds Paradiesgärtlein für ein merckliches und  
denckwürdiges Wunderwerck zugetragen hat/ mit sonderlichem  
Fleiß nach allen Umständen numehr selbst erkundiget und Gott  
zu Ehren/ allen Christliebenden Herzen zur Nachrichtung in den  
Druck gegeben durch Joh. Frontinum Fr. Leipzig bey Christoff  
Ellinger in 40. Et narrat cit. Harsdörfer idem A. MDC XLV.  
d. XXV. Octobr. Creutzendorf I in Silesia eidem Libro eve-  
nisse, eumque cum tota domus incendio periisset inter li-  
quatam stanneam & æneam supellectilem, cui adjunctus  
fuerat, integrum mansisse. Cujus ratio, si alibi quam in ar-  
cana Dei Providentia quæri possit, nos quidem dicere non  
habemus: Hoc constat satis, Arndium à suis maximi habi-  
tum & à singulari pietatis & Sanctimonie nomine commen-  
datum fuisse, viderique possunt, quæ *Henricus Varenius, Pau-  
lus Egardus, Daniel Dilger, Melchior Breder, Joh. Valentinus  
Andrea* & alii pro scripto ejus vom wahren Christenthum pro-  
dide-



didere: Ab aliis tamen, ut *Luc. Osiandro, Contr. Dietrico, Johanne Eberkin* minoris æstimatus fuit, quod scripta eorum contra d. Tractatum fuisse docent.

## CAPUT V.

*Duellorum prima mentio, David non fuit Puer, cum Goliatho se opponeret: Exempla Duellorum, Leges pro iis, Judicium Crucis: Offa Judicialis, Siamensium Oryza execrata.*

### I.

Certamina singularia seu Duella inter probationes hasce, & ut liquere posset, aliquem habere jus, aut esse inson-tem, olim usitatissima fuisse, notissimum est: Mediis Christi-  
anismi seculi *Campo contendere* dixerunt, primaque eorum mentio in Sacris fit i. *Sam. XVII.* confligente pro Victoria nationum suorum Pari male composito, Goliatho Gigante, & Davide tenero adhuc juvene: Plane puerum n. aut parvulum, licet vulgo ita sentiant, hunc non fuisse, sed proceræ jam staturæ, inde colligimus: Quia Saulus procerus vestes suas & arma ipsi adaptavit: Namque cum Rabbinis fingere velle, Deum vestes Sauli Davidis corpori adaptasse, aut vestes & arma ex vestiario Sauli deprompta fuisse figmenta sunt ab ipso verborum tenore divertentia. Neque II. David cum illa exueret, negabat quadrare suo corpori, sed solum se nō assuevisse ejusmodi armis, neq; incedere posse gravatum tanto pondere, & quasi ferreis quibusdam vinculis constrictum. III. Idem colligitur ex eo, quod David longo & gravi Goliathi gladio expedite uteretur, neque inconcinne cingeretur. *Horn. Nott. in Sulp. Sev. L. I. c. LX.*

### II.

Apud veteres Ethnicos sponfiones ejusmodi frequen-tes fuisse docemur Romanorum Historia, qui bellum contra Albanos verterunt in duellum trium Horatiorum cum tribus Curiatiis v. *Liv. L. I.* Similiter inter Lacedæmonios & Argi-  
vos



vos Orthryadis tempore decertatum fuit: Dioxippi Græci & Horatæ seu Corragi Macedonis Duellum exponit *Curtius* L. IX. c. VII. Et prisci Germani gravium bellorum eventus exploraturi, ejus gentis, cum qua Bellum erat, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriis quemque armis committebant, victoriamque hujus vel illius pro Præjudicio accipiebant. *Tac. de Mor. Germ.* Quæ demum mediis istis seculis peculiaribus Legibus confirmatæ sunt. Sic in *Capitularibus Caroli M. L. IV. XXXI.* extat: *Si duo aut tres eum de Furto accusaverint, liceat ei contra unam ex eis scuto & fuste in Campo contendere.* Et in *LL. Frisior. de Hom. in Turb. occis. XIV. §. 5.* *Producat hominem quem voluerit & juret quod ille homo homicidii, de quo ego interpellatus sum, reus est, tenens eum per oram sagi sui: Ille a. si hoc Sacramentum negare velit juret & contra ipsum cum armis suis in campum procedat & uter in ipso certamine convictus fuerit, & sibi concediderit solvat lendem occisi.* Adde *Spec. Saxon. L. 1. Art. 18. & 63.* Confer. *LL. cit. seq. §. IV.* quibus Campi & Crucis Judicium connecti placuit, & alias, quas citant *Del Rio. cit. S. II. Spelman. in V. Campus & c.* Fuereq; in Anglia inter tres Judicii Formas solennes relatæ, quæ fierent in Comitibus Parliamentariis, in Juridicis conventibus, vel in *Certamine Singulari. V. Smith. de Rep. Angl. c. VI. & VII.* Unde magna Exemplorum series succrevit, quæ vid. ap. *citt. Autores & Zuving. Vol. II. L. IV. p. 211. & seqq. & Vol. V. L. IV. p. 1358. Gödelm. de Lamis L. III. c. IV. Camerar. Cent. II. c. XIX. XX.* Personas Pugnantes *Campiones* appellabant, à *Campo* ut *Forenses à Foro*, quod *Bellantium* ritu sub dio, non *litigantium* sub tecto congregiuntur. *Spelm. Gloss.* Mirum est ipsos clericos hoc Judicii genere uti aulos fuisse, cujusmodi exempla, quæ *Ivoniano Seculo* contigerint, è *Jureto* recenset *Spelmannus*, in uno *Monachi Cœnobii Windocinensis*, qui duellū pepigerit cum *Sanctonensis Episcopatus Clerico*: In Al-  
tero



tero Anselmi Thefauri Laudanensis Ecclesiæ Custodis, qui in Monomachia strenue vicerit Aurifabrum, reus innocentem. *V. Judic. Dei.* Nec nostris temporibus plane in desuetudinem abiire, licet Judiciorum nomine non adeo nota, effectu tamen non disparia, de quibus *V. passim Historicos.* Rarissimum ipsos Supremos Principes nunc eo provocasse. Sic Franciscus I. Rex Galliæ Carolum V. Imp. nostrum provocavit locumque duello designari petit, obstinatane vindictæ cupidine, an ut aliorum Sanguini parceretur, non dixerimus. Formula Francisci sane non parum vehemens erat: *Ex eo Sermone quem ad meos habuisti Legatos, intelligo, Te jaetare nonnulla quæ ad infamiam meam pertinent, quasi contra fidem datam è tuis manibus excefferim. Ego igitur honoris mei tuendi gratia breviter hæc ad Te scribere volui: Si vel hoc meum factum, vel abitionem criminariis, vel aliquid unquam à me gestum esse dicis, contra Viri Principis Officium, clarè dico, Te mentiri &c. Nec est, quod imposterum scribas, verum designato locum, ubi duello decertemus. Si congressum differas, atq; interim non desinas me criminari, testificor totius rei turpitudinem ad Te pertinere, nam Duello dirimetur controversia. Apud Sleidan. ad A. MDXXIIX. L. VI. p. 185. Sed respondit Carolus locoque designato, nihilominus Fidem ipsum fefellisse ac turpiter egisse scribit. *Id. Ib.* Res tamen eventu caruit. Similiter A. MDCXI. Rex Suediæ Carolus Regem Daniæ ad Certamen singulare provocavit *V. Thuan. Contin. L. IV. f. 240.* qui & Provocationis Formulam exhibet, qua inter alia petit ut ambo thorace, solo gladio nullis aliis armis instructi decertent, nec quenquam adducant, quam Equitem Cataphractan & peditem cum Sclopeto, Et A. MDCXXXIIX. Imperator Turcicus, cum iret ad defensionem Urbis Bagaded, Regem Persiæ ad Monomachiam ejusmodi provocavit. *Mercur. François ad h. Annum f. 540.* Potuisse alios quoque reorum loco substitui Lex Erisiorum do-*



docet sæpe cit. *Tit. de Hom. in Turb. occis. §. VII.* In hac tamen contentione licet unicumq; pro se Campionem mercede conducere si eum invenire potuerit. Parricidio tamen gravatis id non licebat. Sic Henricus Imp. *Lomb. L. 1. de Parricid. §. IV.* Quicumq; propter cupiditatem rerum Patrem, aut Matrem, aut fratres, aut sorores interfecerit &c. Quod si ille, cui crimen mittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat Campionem pro se dare, nisi decrepita ætas aut juvenilis, aut infirmitas, pugnare prohibuerit. Ritus fieri solitos in Germania prolixè describit *Spec. Saxon. L. 1. Art. 63.* quo Lectorem remittimus: Apud Anglos duplex erat Duellis talis seu Campi Formula; Alia secundum Curiam militarem, quam Marscalli vocant, alia juxta Curiam civilem. Hic obtusis telis agebatur, illic mucronatis; Hic victoriam sequi satis erat, illic in cæde desinendum erat. *V. Spelmann. Glossar.* Excursu de Campo seu Duello instituendo, qui & Libelli Thomæ Ducis Glocestriæ de Norma instituendi Duelli porro meminit, & Excerpta ex eo exhibet.

### III.

Judicium Crucis geminum fuit: Unum Sortis Divinatoriæ quoddam genus, ad eum modum institutum, quo Majores nostri Pagani olim ex decisæ virgæ particulis vaticinati fuere describente Tacito de Mor. German. *Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eosque nodis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt, mox si publice consulatur, Sacerdos Civitatis, sin privatim ipse Pater familiae precatus Deos cælumque suspiciens ter singulos tollit, sublato secundum impressam ante notam interpretatur.* Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem Consultatio, sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Formulamque ejus Christianis Seculis deinde receptam. *Spelmannus è Frisonum LL. tit. XIV. de homine in turba occiso*

G

exhi-



exhibet talem : Reus primò duodecima manu ( h. totidem cum purgationibus ) objecti criminis se purificabat Sacramento, ad Ecclesiam deinde, vel distante longius Ecclesia, ad reliquias Sanctorum deducebatur præcisique de virga particulis duabus paribus, quas Talos & Tenos vocabant, unam Crucis caractere insigniebant, alteram puram dimittebant: Lana munda deinde, ne internosci possent, sortes istas seorsim obvolvebant & in Ecclesia super altare, foras super reliquias ponebant, exorato tunc solenniter Deo, ut signo evidenti ostenderet, utrum accusatus verè juraverit nec ne, Presbyter si aderat, vel absente Presbytero Puer quispiam Innocens Sortium unam tollebat, quæ si ea esset, quæ Cruce signabatur, infontem pronuntiabant accusatum, si pura, Reum judicabant. Alterum stando ad Crucem expediebant: Unde & stare ad Crucem usitatissima LL. Phrasis est. Item *ad crucem cadere, & in crucem evindicare*. Mentio ejus fit in *Capitul. Ludovici Imperat. ad legem Salicam c. 1.* In Seculari causa hujusmodi testium diversitas campo comprobetur, in Ecclesiasticis autem negotiis Crucis Judicio rei veritas inquiratur. *Testamentum Caroli M. c. IIX.* Si confinia Regnorum hominum testimonio declarare non possunt, tunc volumus, ut ad declarationem rei dubiæ Judicio Crucis Dei voluntas ac rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali causa cujuslibet generis pugna vel campus ad Examinationem judicetur. *Et Capitul. Caroli M. de Anno 778. c. X.* quod si Accusator contendere voluerit cum perjurio stet ad crucem. Idemque *Capitul. incerti Anni c. XXXIII.* Si aliquis Saxo hominem comprehenderit absque furto, aut absque sua propria aliqua re, dicens quod illi sit damnum factum & hoc contendere voluerit in Judicio, aut in Campo, aut ad Crucem, licentiam habeat. Modus rem gerendi erat, ut Partes coram Judicio venientes post accusationem & negationem hinc inde interpositam ad

CRU-



crucem stare per XLII. noctes juberentur, & qui perstitisset, victor; qui cecidisset, victus haberetur. Sic legitur in *Formul. Incert. Autor. L. poster. Form. XII. Taliter ei fuit judicatum in ipso placito ante ipsum vigarium vel ante ipsos Pagenses, ut ad crucem ad Judicium Dei pro ipsa terra in noctes XLII. in ipso placito pro hoc deberent astare, quod ita & fecerunt; Sed venientes ad ipsum placitum sicut eis fuit judicatum ante ipsum vigarium, vel ante ipsos Pagenses, ad ipsum Judicium, vel ad ipsam crucem visi fuerunt stetisse, sed ipse illum hominem, qui ipsam terram propriis ad ipsum Judicium vel ad ipsam crucem convicuit: Sed ipse in ipso placito ad ipsam crucem visus cadisse. Sed dum hac causa sic fuit inventa, quod ipse ille, qui ad ipsum Judicium, vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transolvere deberet, quod ita & fecit. Confer Bignon. not. ad h. l. p. 631. Sed qui utrumque Judicium crucis videtur confundere: Quod factum quoque à Spelmanno & Lindenbrogio in Glossariis. V. Siccam. nott. ad L. Frisior. ante cit.*

V.

Offam Judicalem Caseo & Pane hordeaceo, quos Excratos vocabant, expediebant, cujus vestigia in Mechanicorum Collegiis hodiernum deprehendere est, ut ad Salem & Panem res suas adjurent: Estque etiam inter Magica incantamenta vulgò adhibita pro furto indagando hoc, ut Caseum characteribus ac literis pictum devorent, illumque Reum peragant, qui ipsum deglutire non possit, quemadmodum & de Siamensibus Schouten. saepe cit. prodit, Sacerdotes Massam Oryzae exorcismis impragnatam præviis multis ritibus & Cerimoniis exhibere litigantibus comedendam, causamque obtinere, qui sine vomitu eam deglutire possit. Formulam veterem refert hac de re Petrus Pitheous in Gloss.



*ad Capitul. Caroli & Ludovici: suspecto criminis porrigi Panem vel Caseum præmissis precibus in hanc sententiam: Presta quæsumus, Domine, per Sanctum & mirabile Nomen tuum, ut qui Reus est hujus criminis ad appositam ei pro ostensione rei veritatis creaturam Panis sanctificati vel Casei, fauce eiu claudatur, guttur ejus stranguletur & in nomine tuo ante illud ejiciatur, quàm devoretur; Sed Spiritus Diabolicus in hoc negotio ad subvertendum Judicium nihil prævaleat. Eam adhibitam fuisse Clericis, potissimum docent Leges Ethelredi Regis apud Anglo-Saxones, quibus & maxime in usu fuit in Chronico Joh. Bromton. p 919. VI. Si quis altari ministrantium accusetur & amicis destitutus sit, cum Sacramentales non habeat, vadat ad Judicium, quod Anglice dicitur Corþned/ & fiat sicut Deus velit, nisi super Sanctum Corpus Domini, permittatur ut se purget. Et ib. VII. Si quis ordinatus homicidii particeps consilio vel auxilio fuisse compelletur, purget se cum parentibus, quorum interest occisionis factionem tolerare vel emendare. Si parentes non habet, cum sociis se purget, vel jejunium ineat, si opus sit, & applicetur ad Corþned/ & fiat Voluntas Dei. Vocem Corþned/ quæ Panem Execratum significat, Lambardus explicat in *Archæonom. Angl.* Corþ ait execratum sonat, ned à neod i. necessitate inductum, panem significat. *Somnerus in Glossar.* Offam execratam dici mavult ab eodem Corþ & snåd vel snid/ quod à nostro schneiden scindere, q. d. scissum bolum, particulam, frustum, of-fam.*

## CAPUT VI.

*Epicrasis generalis Judiciorum Dei, Leges quibus sublata sunt: Eadem Fallacia fuisse: Speciale singulorum examen: Fons mirabilis Paderbornensis: Zwinglii cor non potuisse comburi: Salamandra, Amiantis natura: Affectus ex*  
Ma-



*Mærore contracti, An Judas suspendio vitam finiverit:  
Examen Rationum pro Aqua Frigidæ Proba: Ignem na-  
turalibus mediis innoxium esse posse: Circumforaneorum  
& Cigarorum hac de re arcana: Duellorum improbatio  
LL. facta. Judicii Crucis improbatio. Cur panis aut caseus  
aliquando deglutiri non possit.*

I.

**S**ed nimis diu exponendæ Parti historicæ hujus conatus no-  
stri inhæsimus; Atque isthæc ferè fuerunt extantiora &  
tot nationibus decantata JUDICIA. Restat ut Epicrisin ali-  
quam addamus, quove in loco habenda sint, exponamus. Mi-  
ram in Examinibus ejusmodi fiduciam fuisse tot exempla al-  
legata satis docent; (Omnia enim in dubium vocari unani-  
mis Scriptorum istius temporis consensus non permittit;) Et  
merito quidem id fieri potuit, cum miracula quotidie exhi-  
beri cernerent. Quis enim credat, aut ferrum candens, aut  
Aquam Bullientem citra miraculum non usturam? Et jam si  
Digito Dei regebantur istæ probationes, cur aliquando abo-  
litæ sunt? Sin minus, cur usque adeo in Ecclesia toleratæ?  
Quod *Spelmanni* est ratiocinium *l. sep. cit.* Nos autumamus,  
dubium non esse, quin approbanda sint, si casum Divinæ vo-  
luntatis ponamus, cum veritatis inquirendæ causa suscepta  
fuerint aut suscipiantur, quod Deo, utpote Veritatis aman-  
tissimo non potuit non placere, idque exemplo Aquarum A-  
mararum patuit, quas ipse adhiberi jussit. Extra hunc casum  
verò approbari non posse merito censemus, quia Tentatio-  
nem Dei, Nominisque ejus abusum implicant, quippe Sacro  
Codice nusquam mandata: *Spontanea enim Confessione, vel  
Testium approbatione publicata delicta habito præ oculis Dei ti-  
more commissa sunt regimini nostro judicare: Occulta verò &  
incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum*



hominum, inquit Stephanus P. M. l. *infra cit.* Obtendit quidem Doctiss. Aventinus superius cit. L. IV. Ann. Boj. *Majores nostri religiosissimi mortales magis Deo quam sibi confidebant, plus divinae Justitiae ejusque promissis, quam suo ingenio aut sapientiae innitebantur, potiusque caelestibus Decretis, quam suis opinionibus stabant. Officiis omnibus atque artis supremum Numen interesse voluerunt, eaque demum rata haberi, quum divinum auspiciam addixisset.* Sed id erit effusissimæ Deum tentandi licentiæ campum aperire, pietatem Socordiae nostræ obtentui sumere, & Judicia nostra omnia, quæ tamen ipse Deus sanctissimè custodiri jubet, eversum ire. Id verò prorsus intolerabile est, quod paulo post subjicit: *Istud tum erat sapere, ait, fidem Deo habere, omnem spem in ipso collocare. Nostro seculo nihil minus. Quippe nihil aliud est, quam delirare, Deumque immortalem irritando ad iracundiam provocare. Solet idem factum, ut video diversis aetatibus hic pietatis alibi erroris nomen accipere.* Primum ad hypothesein huc translatum quam ineptum sit vel Catechumeni nostri norunt. Alterum verissimum quia Tentationis Divinæ notam Judicia hæc nulla effugere possunt. Tertium vitio hominum fieri poterit, in se neutiquam, nisi universam & pietatem & virtutem ab opinione nostra suspendi velimus. Quo quidem nomine universum Aquæ calidæ, Frigidæ, Ignium, Crucis & cæterorum apparatus rejicimus & inter illicita Inquisitionum media collocamus. Hinc & publicis LL. abrogata fuere, initio quidem Decreto seu Gregorii seu Alexandri II. P. M. c. *Mennam. VII. C. II. Q. V. Vulgarem denique & nulla Canonica sanctione fultam Legem Ferventis scilicet, sive Frigidæ Aquæ, Ignitque Ferri contactum aut cujuslibet popularis inventionis (quia fabricante hæc sunt omninò ficta invidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, immò Apostolica autoritate prohibemus firmissime.* Tum ante dicti Stephani c. XX. ead.



XX. ead. Ferri Candentis vel Aquæ Ferventis examinatione  
confessionem extorqueri à quolibet Sacri non censent canones;  
Et quod sanctorum Patrum documento sanctum non est, super-  
stitiosa adinventione non est præsumendum. Post Fridericus  
I. eadem sustulit Constit. Neapoll. L. II. Tit. XXXI. Leges, quæ  
à quibusdam simplicibus dicuntur Paribiles, quæ nec rerum na-  
turam respiciunt, nec veritatem attendunt nos qui &c. in per-  
petuum inhibemus &c. Eorum etenim Sensum non tam corri-  
gendum duximo, quam videndum, qui naturalem candentis fer-  
ri calorem tepescere, immò, quod est stultius, frigescere nulla  
justa causa superveniente confidunt, aut qui Reum criminis con-  
stitutum ob Conscientiam laesam asserunt, ab Aquæ Frigidæ Ele-  
mento non recipi, quem submergi potius aëris competentis re-  
tentio non permittit. Quod hisce verò aliis LL. & contraria  
Praxi iterum derogaretur, nova demum prohibitione Inno-  
centii III. in Concilio Lateranensi A. MCCIV. sublata sunt:  
Nec quisquam purgationi Aquæ Ferventis vel Frigidæ, seu  
Ferri Candentis ritum cujuslibet Benedictionis aut Consecra-  
tionis impendat. C. Sententiam Sanguinis IX. ne Cler. vel Mo-  
nach. Cui Principes Christiani pro natura istorum temporum  
facile morem gesserunt, & citat Spelmannus Recordum seu  
Rescriptum Henrici III. ad Justiciarios Itinerantes, quo Re-  
gno egredi jubentur, qui mediis criminibus Latrocinii, Mur-  
dri, Incendii &c. reatati, h. accusati fuerint, & quibus com-  
peteret Judicium Ignis & Aquæ, si non ab Ecclesia Roma-  
na prohibitum esset. Vid. Spelman. l. c. Delrio L. IV. c. IV.  
Q. V. S. III. Selden. Anal. Anglo-Britann. L. II. c. IIX. Paschal.  
Recherch. L. IV. c. II.

II.

Quod majus est, fallacia erant hæc JUDICIA, hodieque  
sunt reliquiæ eorum, nec ea illa, qua par erat, fiducia sem-  
per tractari potuerunt. Agnovit hoc Delrio, sed exempla  
sibi



sibi in promptu non esse fatetur *l. cit. Q. IV. S. III.* Quorum loco adducimus, ex *Oldenkop. Observ. Crimin. XIII. Tit. IV.* Quod ipsum se oculis suis in Proba Aquæ Frigidæ usurpasse dicit. Suspectas aliquot in Aquam projectas fuisse, & omnes ei innataste; Mox aliquem spectatorum à crimine ejusmodi immunem habitum precio accepto à nonnullis Personis Illustribus eodem modo ligatum & in aquam abjectum fuisse; Sed hunc æque nataste ac illas, adeo ut etiam juvante Carnifice non potuerit submergi; Sicque dimisso illo omnes astantes Judicii fallibilitatem admiratos fuisse. Et Veteribus simile quid suboluisse nos hinc colligimus, quia non semper plena fiducia se illis submisere, sed dubitabundi aliquando: Sic in contentione Orthodoxi Diaconi cum Ariano, quam ex Gregor. Turon. supra descripsimus, Diaconus primo brachium unguentis delinivit, antequam manum in æneum mitteret, contra quod & Arianus protestatus fuit causatus Magicas artes in Subsidium vocari, donec superveniret Hyacinthus Diaconus &c. Et Disceptationis de Officio Divino Mosarabico retinendo, aut Romano introducendo Judicium, cum Monomachia committeretur sub Alphonso VI. A. MCXXI. & vinceretur propugnator Officii Romani, demum ad importunam instantiam Regis & Archiepiscopi Toletani novo Judicio Ignis causam commiserunt, V. locum ex *Mariani præc. c. I. §. VI.* Confer *Genebrardum in Chronolog. & Claud. Duret. in Thesaur. Histor. Linguar. Gallicæ c. LV. Voet. cit. T. III. Disp.*

### III.

Porro asserimus, eadem Naturæ ductu fieri, simplicibusque pro miraculis obtrudi potuisse, non semper quidem & ubivis, sed pro re nata, & quoties Politicis vel Sacro Ordini opus erat, ut rebus suis autoritas adderetur, vulgusque promptius fieret: Quod speciali singulorum Examine planum



num reddere conabimur, huic simul, quæ præterea seorsim commemorari merebuntur addituri. Et primo quidem non ausimus dicere ipsarum Aquarum amararum, evidentissima vestigia hodiernum deprehendi in admirabili Fonte *Methorn* prope Urbem Paderborn sito, cujus rivus alter Aquam frigidam, turbidam, gustuque fortiori præditam vehit, & aves omnes, si bibant hanc aquam, ex templo enecat, narrantque, qui curiosius hæc observarunt, aves temulentas quasi stare, tunc tremere incipere & componere se, ut procidant, mox mira convulsione commoveri & mortuas rigere. *V. Journal. des Sçavans T. 1. Ephem. XII. p. 136.* Quid si enim & aliæ ejusmodi aquæ effectoque validiores dentur, adeo ut hominem etiam aliaque grandia corpora animata petere possint? Et cætera hujus fontis cum effectum aquarum amararum maxime congruunt: Cum utrinque Aqua turbida sit graviori fortiorique gustu prædita, hicque aves, istic homines tremunt, componunt se, ut procidant & moriuntur. Sed Dei iste digitus erat & Aquam communem soloque usu sanctificatam adhibitam fuisse superius vidimus. Hæcque illud saltim docebunt profanos Sacrarum Paginearum contemptores, nihil abscondi esse, si Deus talia præceperit, cum & natura ejusmodi aliqua ostendet.

#### IV.

Aquam Ferventem seu Æneum, uti vocabant, non semper metui potuisse, facile cogitabunt illi, qui Æneum, dum maxime ab igni fervere videtur, in fundo tepere tantum & nudis manibus tractari posse recordabuntur, re adeo plana, ut in quavis culina fere nota sit, & in ipsorum Scholasticorum Physicalia irrepsit, quos causarum talis rei inquisitio frustra macerat: Quibuscum conferri petimus, quæ infra ad ignita examina de Cir-

H

cum-



eum foraneorum imposturis adducemus. Frigidæ in fer-  
vidam mutatio vix alibi quam in Gangulphi exemplo se  
offert, nec publice recepta aut approbata fuisse videtur,  
ideoque eam nobis non adeo curatio erit, si quid tamen  
dicendum est, ad Fontes Medicatos, quibus membra ob-  
riguerint, itidem recurri possit, aut quid vetuerit etiam  
Satanæ in Sanctorum istis actibus frequentis fraudium  
hoc aliquod specimen fuisse.

V.

JUDICIA AQUÆ FRIGIDÆ, quæ projectu fiebant,  
peculiari Lege Lotharii Imp. sublata fuere, *Lombarda L.*  
*II. Tit. LV. L. XXXII. Ut Examen Aquæ Frigidæ, quæ ha-*  
*tenus faciebant, à misis omnibus modis interdicator, ut*  
*non ulterius fiat.* Qua tamen, aut simili, non obstante ad  
nostra tempora in Magis asservata vidimus in superr. de-  
fenditurque à *Jacobo R. Ang. Demonolog. L. III. c. VI. Scri-*  
*bon. L. II. de Magis,* ratione hac potissimum, quod Aqua  
sinu suo eos non recipiat, qui Fidem in Aquæ Baptismo  
datam abnegarint. *Ut in homicidio occulto, ait Sereniss. Ja-*  
*cobus, sanguis è cadavere tangente homicida erumpit*  
*quasi calitus poscens ultionem, quod Deus præter naturæ*  
*ordinem voluit esse secreta immanitatis indicium. Sic non*  
*naturæ ope, sed divina voluntate institutum videtur pro-*  
*digiosa in veneficis impietatis signum fluctuatio hac tan-*  
*quam Aqua suum in sinum eos non admitteret, qui excussa*  
*Baptismi Aqua se omni illius Sacramenti beneficio ultro or-*  
*barunt.* Sed prius æque dubium est. V. cap. VII. §. II.  
Qua posterius, Aquæ proprium non est, nec ratione aut  
*καρδιογνωσία* prædita dici poterit, ut dignoscere possit,  
an Sacrosanctum Baptismi pactum violatum sit, nec ne?  
Aut si præternaturali virtute Divina id fecerit, habebi-  
mus immensum novorum miraculorum numerum, quæ  
nul-



nulla necessitate exigente patrarentur, quod in Ignomi-  
niam Divinæ Majestatis cederet. Cætera satis fuse refel-  
lit *DelRio cit. Q. V. S. II.* Confer *Gödelm. de Mag. L. III. c.*  
*V. n. 31.* Fallacia esse diximus *præc. §. 11. hujus c.* Et ali-  
am qualemcunque rationem naturalem subesse exem-  
plo isthic posito enarravimus: Submersionemque aëris  
competentis retentione impediri jam Fridericus Impe-  
rator in *Constit. Neapolitanis thes. I.* citatis suspicatus  
fuit: Quemadmodum & hoc communiter observatur in  
ipsis corporibus jam in aqua submersis, quod à Spiriti-  
bus vitalibus & animalibus flatuque pulmonibus conce-  
pto ex Aqua subinde per intervalla attollantur, immo  
plane innatent ei, si vita functa sint: Mœrore præterea  
aërem attineri, ut respirandi difficultas inde nascatur,  
multi sciunt, quos ingens aliqua anxietas turbavit. Quid  
mirum igitur, si & inter hosce homines similes casus  
existent, ut dum minitantem Judicem, Carnificem tor-  
quentem, & ridentes Lictores juxta se vident, concepto  
mœrore corpus eorum flatuosius reddatur. Cui qui-  
dem rei lux aliqua accedet ex Judæ proditoris morte,  
quem Petrus *Actorum I. v. XIX.* dicit præcipitatum cre-  
puisse medio & effusa esse ejus viscera. Matthæus *c. xxvii.*  
*v. ἀπὸ γέλασθαι* h. e. suffocatum fuisse. Quod quidem com-  
muniter de suspendio interpretantur, Judamque laqueo  
finitisse vitam autumant, sed difficili cum verbis Petri  
conciliatione. Si enim suspensus fuit, qui præcipitari  
potuit, aut cur crepuit medius. Sed si *τὸ ἀπὸ γέλασθαι* no-  
tione compressio Spiritus intelligatur, sensus facilis &  
plana utriusque concordia erit: Eodemque sensu de A-  
rio dicit Athanasius, *πεννὴς ἡρόμυθον ἐλάκησε μέσθον*, quem  
viscerum effusione, non suspendio obiisse, communiter  
tradunt, & tamen ipsum Judæ morti assimilat Arator in



Historia Apostolica, licet cætera Judæ suspendium attribuat.

*Qui criminis autor  
Errorisque tui est, fusa ruit Arrius alvo  
Infelix plus mente cadens, letumque peremptus  
Cum Juda commune tulit, qui gutture pendens,  
Visceribus vacuatus obit, nec pæna sequestrat,  
Quos par culpa ligat.*

Ἀπάγξασθαι enim & ἀπάγχουμαι non magis suspendium ac insolitam & inopinam strangulationem ac suffocationem significat, ut obstructo spiritu aliquis necetur, diffiliat ac moriatur. Sic Desperatus Pastor apud Theocritum queritur ἀπάγξασθαι με ποιήσεις, quod Maro reddidit, *Mori me denique cogis*. Et Æschines alicubi ταῦτα δ' ἦν ἀγχόνη καὶ λύπη τέτω. Hæc suffocatio & mœror ei erat: Eodemque pertinet vulgare ex Marone notum: *Rumpantur ut Ilia Codro*. Hyperbole extremæ indignationis: Quæ omnia uti non suspendium, sed compressum spiritum rupturamque indignant, ita eodem sensu de Juda dixerimus, Summo mœrore compressos spiritus ilia ejus rupisse. V. plur. *Grot. in Matth. XXVII. V.* Quam sententiam & B. Frater meus *Fridericus Becmanus* Theol. D. & Prof. Publ. publice hic olim sustinuit. Si itaque & hic mœrore compulsis & compressis spiritibus corpora tumuerint, eoque flatuosiora reddita fuerint, mirum non est ea aliquando aquis innata esse. Sed tamen salvo meliori Judicio hæc omnia dicta sunt: Concludimus hunc locum verbis *Bernhardi Sermonis LXVI. super Cantica*, qui ne Waldensium quidem explorationem ferundo fuit, cum alias in dogmata eorum inique invectus fuisset persecutoresque laudasset: *Approbamus Zelum, ait, sed factum non suademus.*

VI. Ad



Ad IGNIS JUDICIA notamus I. Ipsam Naturam jam aliqua Immunitatis ab Igne monumenta monstrasse: Quemadmodum, ut ab hominibus inchoemus, *de Pyrrho Plinius* scribit, ejus dextro pede pollicem, quo lienosis mederi solitus fuerat, cremari non potuisse *L.VII.c.II. Et de Ulr. Zuvinglio Thuanus L. 1. f. 29.* Cor ejus, cadavere flammis ab hostibus tradito exuri non potuisse, quod quidem superstitiose interpretatum, sed constare tamen ait in quibusdam Corporis Humani partem esse quandam, in quam Ignis nihil possit. Quo Plinius Familias ex Faliscorum Agro, Hirpias dictas, refert, quæ annuo Apollinis Sacrificio ad montem Soractem super ambustam Ligni struem ambulantes non adustæ fuerint, & ob id perpetuo Scto militiæ omniumque aliorum onerum vacationem habuerint *L.VII. c. II.* Quod Strabo tamen præternaturali cuidam miraculo Deæ Feroniæ transcribit *Geogr. L.V.*

ὑπὸ δὲ τῷ Σαρφικτῷ ὄρει Φερωνία πόλις ἔστιν ὁμώνυμος Ἰπικωρία πνὶ δαίμονι τιμωμένη σφόδρα ὑπὸ τῶν ἐπιόικων, ἧς τε μένος ἔστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱερῆποίησιν ἔχον. Γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνδρακίαν καὶ σποδία μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς, καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνδρώπων ἅμα τῆς πανηγύρεως χάριν, ἢ συντελεῖται κατ' ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θεᾶς.

*Sub monte Soracte Urbs est Feronia cognominis Indigenæ cujusdam Deæ à vicinis admodum venerata, cui & in eodem loco lucus, seu Delubrum est, mirabile habens Sacrificium. Hujus enim Numine afflati nudis pedibus Magnam prunatum ardentium struem perambulant illesi, & huc confluent annuatim multitudo hominum tum ad celebritatem tum ad Spectaculum intuendum. Extra Homines in Regno Animalium decantatum est Salamandræ prodigium, cui tantus rigor, ut ignem tactu restinguat. Plin. X.*



LXVII. Quod quidem Physicorum aliqui in dubium vo-  
cant, sed qui errore hac in re vulgatissimo *Stelliones* &  
*Salamandros* confundunt, ac proinde experimentis defi-  
ciunt. Veris Salamandris id usu venire recentissimæ Ob-  
servationes tamen confirmatum reddidere; Et narrant  
*Transactiones Philosophicæ Virtuorum Angliæ de A. M*  
*DC LXVII. M. Januar.* Nobili Italo *Corvini* Salamandram  
ex India missam ab eoque Igne injectam intumuisse ma-  
gnamque viscosæ materiæ copiam excrevisse, qua qui-  
dem prunæ circumjacentes extinctæ fuerint: Mox ani-  
malculum in extinctas hæc se contulisse, & toties re-  
stinxisse, quoties denuo ardere inciperent: Sicque inte-  
gris duabus Horis ignem sustinuisse. Postea exemptum,  
novem menses adhuc supervixisse & quidem absque o-  
mni alimento, nisi quam de Terra, in qua ex India allata  
fuerat, lamberet; Et terram hanc initio crasso quodam  
humore coopertam fuisse, post exaruisse, nisi qua urina  
ejus madefieret: Impositam verò denique Terræ Italicæ  
tridui spacio expirasse. Quæ quidem tum pro natura Ani-  
malculi hujus cognoscenda, tum veteri ista opinione  
confirmanda, nostroque proposito illustrando adducere  
operæ precium duximus. In Regno Minerali se offert La-  
pis Amiantus seu Asbestus, vel ut alii vocant, Alumen  
Scissile, Corpus itidem ab Igne illæsum, & ex quo jam o-  
lim omnis generis Carbasina suppellex conficiebatur,  
quæ sordidata, non aqua, sed Igne purgabatur, quæque  
non antiquis tantum temporibus apud Ægyptios, Græcos  
& Romanos, sed nostris adhuc ita nota est, ut apud nul-  
lum non Principem ferè reperiatur, & profert Kircherus  
inter rariora sua chartam ex hisce confectam, quæ ad li-  
teras scribendas faciunt, quas ubi in ignem injiciunt con-  
sumtis mox literis charta velut igne lota integra & can-  
didi-



didior extat, novisque literis inscribendis servit; Item redimiculum Asbestino lino contortum, quod igni injectum, si sordibus pollutum sit, inde nitidissimum egrediatur. v. plur. apud Ipsum *Mund. Subterr. L. II. X. sect. III. c. I.* Ut proinde naturæ impossibile non sit corpus, seu vivum, seu exanime, ab igne intactum servari. II. Notamus eandem naturam ab arte adjutam non minora ostenta producere, licet in fraudes & abusus sæpe numero tracta. Sic Cigari super stramina ignes conficere norunt salvo manente Stramine, idque vi Radicis Cichorii Albi stato tempore effossæ, quod tamen vel præstigiis Diabolicis assignabitur, vel singulari stramen tractandi modo; Sic enim etiam aliquandiu illæsum servari posse Rerum Naturalium Amantes sciunt. Certius est, quod Circumforanei ostentare solent, ut ardenti lardo, liquefacto plumbo & sim. fervidissimis materiis lavari sustineant, indeque unguentis suis contra ustiones autoritatem conciliare studeant. Quorum tamen virtus hæc non est, sed manuum ipsarum proprietas, interveniente remedio ad id præparatarum, ut ab igne illæsa maneat: Quod quidem *Lemnius, VVeckerus* & alii Secretorum Naturæ auctores à Radicibus Althææ, Gummi Tragacanthino, Succo Malvæ, Mercurialis & sim. petunt, ut contusis iis & in pulpam redactis manus illinantur: Sed crassius hoc foret conamen & à spectatoribus facile deprehenderetur: Et contra in pellucido & Oleoso liquore illud situm esse naturæ curiosis abundè constat: quem tamen specialius designare instituti nostri non est; Cur enim afflictis h. e. vagabundis, erronibus, afflictionem adderemus, novisque fraudibus excogitandis, occasionem præberemus, cum jam antiquis istis mundus satis decipiatur. Narrat præterea *Busbequius Epist. Turc. IV.* Sibi Turcicum Monachum



nachum & Circulatorem visum, qui manum injecerit Ferro candefacto, idque ori insertum omnem in partem aliquamdiu versaverit, non sine Salivæ Stridore. Confer. *Camer. l. sæpius cit. c. XIIIX.* Quæ & similia si jam attendantur, nihil mirum erit, si pari fraudium genere, mediis seculis istis aliquando impositum fuerit, vulgusque effrene in ordinem redactum. Quod quidem ut tanto facilius credamus, repetimus ex contentione inter Diaconum Orthodoxum & Arianū, antehac proposita, Diaconum Orthodoxum dubitandum de eventu rei, brachium, quod aquæ inferendum erat, oleo imbuisse: Quod ipsum Agyrtæ nostri hodie faciunt, & proinde idem priscis temporibus notum fuit, eoque similiter vel illud vel aliud etiam contra ignem potuit adhiberi.

VII.

Duellorum Judicium incertitudinis & impietatis arguit Rex *Luitprandus Lombardæ L. i. Tit. de Monomachia X.* *Quia incerti sumus de Judicio Dei & multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere, sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum Legem impiam vetare non possumus.* Idem inhibuit Nicolaus Pontifex Epistola ad Carolum Regem Lotharii Patrum data occasione Thebergæ Adulterii à Lothario insimulata, quam Historiam describit *Rhegino L. II. Histor. Monomachiam in Lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus &c.* *Cum hoc & hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videantur c. II. Q. V. c. XXII.* Confer *Can. xx. Concilii Universalis Lateranensis III. & Concil. Trident. sess. xv. c. xx.* quo non tantum duellionibus ipsis, sed & Imperatori, Regibus & Magnatibus eam exequi permittentibus, gravissimè interminatur. Idem singularis Gentibus factum, & Angli quidem tacito consensu ea ab-



abrogari siverunt: Apud Suedos extat *Titul. XIV. Artic. vel Jur. Milit. Suedia*, quod auspicio Gustavi Regis conditum, §. *LXVII. in Castris, Urbibus & propugnaculis nulla digladiatio, aut Duellum permittatur & concedatur. Sed si qua Controversia inter milites orta fuerit, ea judicio militari dirimatur &c. ap. Loccen. Ant. Sueogoth. L. II. c. IX.* Galli singulorum fere Regum suorum Edictis inde arcentur. V. Edictum Henr. IV. de An. MDC IX. ap. *Contin. Thuan. L. II. p. 45. Ludov. XIII. de A. MDCXXXIV. Mercur. François ad dictum Annum p. 656.* Confer quæ in ejusdem Regno adnotant *Contin. Thuan. L. VI. ad A. M DC XIII. & Gramond. ad An. M DC XV. L. I. Histor. Gall.* Ubi rationes contra Duella prægnantissimas simul legere est, quas brevitatis causa nunc præterimus. Adde *Paul. Voet. Tr. de Duellis, August. Vischer. Juris Duellici Tractatum, Henr. Bocerum de Bello & Duello, inter veteres Agobardum Episcopum*, qui itidem integro Libro hanc materiem prosecutus fuit, eoque simul cætera Judicia Dei improbavit.

### VIII.

Judicii Crucis interdictum extat in *Capit. Caroli M. L. I. c. CIIIX.* Cui ratio additur, ne Christi passio, quæ glorificata est, cujuslibet temeritate contemptui habeatur: Quod tamen nec isto nec secutis temporibus statim observatum fuit. Rationem improbandi nos hanc præterea reddimus, quia est Sortium Divinatoriarum seu Consultoriæ genus, quas pro illicitis habent Theologi, nisi Deus eas extraordinarie præscribat. A Deo enim si expectetur Judicium, præsumptionis erit & nihil aliud quam Deum tentare, cum homines nesciant cujus spiritus sint; Si aliunde, vanitatis, superstitionis, Magiæ erit. *V. Voet. Vol. III. Diss. de Sortis &c. abusibus.* Ad



Offam Judicialem breviter adnotamus verba sæpius cit.  
Cl. Molinæi: Hæc fieri astute & non sine prudentia:  
*Hæc enim vis est Conscientiæ trementis & animi anxii,*  
*ut cibi meatum arctet, & fauces sic obsideat, ut agre ad-*  
*mittant Caseum, pinguem, lentum ac viscosum, panemque*  
*calidum, cuius materia tenax & non friabilis. Ideoque*  
*oportet ut panis sit hordeaceus, cuius polenta est lentior &*  
*materia adversus manducationem contumax. Vat. L. III.*  
*c. XXII.*

## CAPUT VII.

*Perceptio Eucharistiæ, Formula ejus, Improbatio: Cruenta-*  
*tio Cadaverum, Ritus Jurandi super vulnere, Instan-*  
*tiæ ad eam: Provocatio ad Tribunal Jesu Christi.*

### I.

**I**Ta finem imposuissimus operæ nostræ, nisi Cognatæ  
Judiciis nostris materiæ Perceptionis Eucharistiæ, Cru-  
entationis Cadaverum, & Provocationis ad Vallem Jo-  
saphat nos adhuc tenerent. Namque in his etiam effe-  
ctus aliqui præternaturales deprehenduntur, sed citra  
Judiciariam, & illam quidem Civilem Inquisitionem,  
qua antegressa Judicia nitebantur. Perceptionem Cœ-  
næ Purgationi Canonice annumerabant, quam pariter  
ac Juramentum ea comprehendebant, Veluti è contra-  
rio reliqua Judicia *Purgationes vulgares* vocabant *V. C.*  
*I. §. II.* Formula ejus habetur & probatur in *Concil. VVor-*  
*matiensi c. XV. & C. II. Q. V. c. XXIII.* ubi ita legitur:  
Sæpe contingit, ut in Monasteriis furta perpetrentur,  
& qui hæc committant, ignorentur. Idcirco statuimus,  
ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debuerint,  
Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Ab-  
bas præceperit, præsentibus fratribus, & sic expleta Mis-  
sa



sa omnes communicent in hæc verba : *Corpus Domini sit Tibi in probationem hodie.* Illa vero plane horribilis est, qua Rupertus Abbas Limpurgensis veritatem Revelationum suarum probare coactus fuit apud *Tribem. Chron. Hirsaug. ad An. MCCXXIV.* Consilio virorum præsentium habito Episcopus, probationem revelationum suarum Abbati sub perceptione Dominici corporis & sanguinis indixit. Itaque Missarum celebratione ab Episcopo in conspectu omnium peracta, Corpus Domini nostri Jesu Christi Abbati præbens in manum, antequam illud sumeret, sic jurare præcepit: *Ego Rupertus Dei gratia Limpurgensis Ecclesie Abbas dico, affirmo & juro coram omnipotente Deo, omnibus Sanctis ejus, & vobis, Domine Episcopo Arnolde, in animam meam super hoc corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi verum, quod natum est ex Virgine Maria, passum & immolatum in ara Crucis pro nobis, quod Revelationes istæ, quas scripsi in parte & in toto non sunt fictæ, non falsæ &c. Sic me Deus & hoc Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac novissimo die Judicii adjuvet, salvet & suscipiat. Et si aliter est, quam dixi & juravi, tunc hoc Domini nostri Jesu Christi non pertranseat guttur meum, sed hæreat in faucibus meis, strangulet me, suffocet me, ac interficiat me statim in momento &c.* Hocque examine Lotharium Regem Lotharingiæ atrocius arguit, Adrianus P. M. de adultério cum Waldrada pellice contra interdictum Nicolai P. M. perpetrato, item Proceres & ministros ejus, qui aut tanti sceleris conscii, aut Waldradæ favissent excommunicatæ. Cum enim omnes percepta Eucharistia innocentiam profiterentur, tremendo Dei Judicio factum est, ut Lotharius Roma egressus brevi moreretur,



reliqui plerique ante anni ipsius exitum variis casibus tollerentur, & ipse Populus sævissima peste tanquam hostili gladio undiquaque corripereetur. V. plur. *Sigon. de Regno Italiae L. V. Et Rheginonem ad Annum DCCCLXIX.* Qui & inferius refert Anno DCCCCXLI. Fridericum Archiepiscopum conspirationis in Regem suspectum hoc examine se publice in Ecclesia liberasse. V. plura de purgationis hujus modo & effectis, inter *Antiquas Collectiones Decretalium* cum notis *Anton. Augustini & Cujacii coll. I. lib. V. tit. XXIX. & II. L. V. tit. XV. & III. L. V. Tit. XVII.* *Canonistas ad Extrav. de Purg. Canon. Lanceloti Institut. Lib. IV. Tit. II. Zypæum in Jure Canonico novo p. 513. 515.* & qui prolixè hæc mysteria pandit, *Ignatium Lopez in Practica Criminali Canonica C. XLIIIX. Et Pegnam in notis ad Eimerici Directorium Inquisitorum. Summistas in voce Purgatio, Item Albus. L. II. Dicaologia c. XL. Hottom. in comment. Feud. c. XLIV. n. IV. citante Voetio Disp. sæpius cit. de Sortis & c. Abusibus.* Quo cum & Purgationis hoc genus rejicimus, quia implicat tentationem Dei & abusum nominis Divini, observatque simul in *Annott. Ignatii Lopez. c. cit. exerte dici ex instructione Madritiana in causis fidei c. XVII. Ob malitiam humanam purgationem Canonicam periculosissimam esse in usu, eoque raro utendum, & Piasecius in Praxi Episcopali p. 334. 339. fatetur eam vix esse in usu.*

## II.

Cruentatio Cadaverum inter Signa Homicidii reponi solet ut cadavera sanguinem fundant, si Homicidii reus præsens sit : Ejusque ratio reddi solet, quia Sanguis innocens clamat de terra & exposcat vindictam, ut *Genes. IV.* Narrat ex aliis *Oldenkop* Homicidii in Stuzbergio designati suspectos Provinciali Judicio sententiam



tiam tulisse, ut Jure jurando se purgarent, duobus digitis, inter quos Lana Alba erat in vulnus impositis: Et priorem id concepisse, nec quicquam indicii conspectum, altero verò jurante rubere cœpisse vulnus & Sanguinem exiisse per pedes defluentem numerofo populo cernente: Sic Cædis autorem confirmatum Supplicium subiisse *Obs. crim. Tit. II. Obs. II.* Sed tamen fefellit aliquando hoc Judicium seu Indicium, traditque *Libavius Tr. de Cruent. Cadav.* Sanguinem aliquando non fluxisse præfente homicida, & fluxisse contra præfente dilectissima Amica. Præterea notum est, quævis fere cadavera humana ad motum violentiorem Sanguinis aliquid emittere: Ideo tutius censent ei nihil confidere, nisi forte hunc in finem, ut aliud indicium eruatur, ut si motum cadaver sanguinem effundat & inspiciens suspectus illico pallefcatur: Quanquam ne hoc quidem fatis esse argumento est, quod aliqui adeo impotentis animi sint, ut licet sint innocentes, tamen tantopore consternuntur ac tremant, ut facilè dispositionem similem veri percussoris possint acquirere. *Heig. p. 11. Q. xxxix. n. civ. & seqq. & ex eo Oldenkop. l. c.* Interim fatendum est multa naturam adhuc fovere, quorum effecta deprehendimus, sed causas ignoramus, quippe à sufficienti observationum apparatu destituti, inter quæ si & Hæmorrhagiam hanc referamus, non omninò frustra erimus, juveritque plenioribus Inquisitionibus Physico-Politicis in posterum instructiores reddi, indeque certiora olim formari Indicia, quorum syllabum aliquem ex sæpius laudato *Voetio* nunc enotamus I. *An Sanguis fluat sine agitatione Corporis, aut alteratione aliqua extrinsecum adducta?* II. *An semper ad præ-*



Handwritten signature in blue ink, possibly reading "A. H. T. R." or similar.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible but seems to contain Latin or German phrases.

Additional faint, mirrored text from the reverse side, appearing as bleed-through. The text is illegible.

T A N T U M





